IESVS.

# CONSTITV-TIONES FRA-TRVM ORDINIS SAN-CTISSIMAE TRINITA-tis, & Redemptionis capti-uorum Prouinciæ Portugalliæ.



*VLYSSIPPONE,*

*Excudebat Emmanuel de Lyra Typ.*

Cum facultate S. Inquiſitionis, & Ordinarij.

ANNO M D LXXXXI.

MAndato Sereniſsimi Principis Alberti, Archiducis Auſtriæ, S.R.E. Cardinalis, & Inquiſitoris generalis, huius Regni Portugalliæ, has ſacras Sanctiones Ordinis ſanctiſsimæ Trinitatis, & Redẽptionis captiuorum, attẽtiſsimè perlegi: & nihil in eis eſt, quod vel bonos mores, vel Chriſtianam pietatem offendat. Quinimò ad Religionis ſtatum, & perfectionis culmen maximè cõducunt. Sanctorum quippe Patrum, qui primis illis ſæculis, Ordines, & cœnobia, fundarunt, redolent inſtituta. Quapropter digniſsimas iudico, quæ in commodum multorum, non ſine magno fructu, typis excudantur. 2. die Decembris, 1591.

Fr. Bartholomęus Ferreira.

VIſta a informação do Padre Reuedor, podemſe imprimir eſtas Conſtituções, & deſpois de impreſſas tornarão a eſta meſa, com eſte proprio original, pera ſe conferirẽ com elle, & ſe lhe dar licença pera correr. Em Lisboa 3. de Dezembro 1591.

Antonio de Mẽdoça. Diogo de Souſa.

Poderſeão imprimir eſtas Cõſtituções, 3. de Dezembro, de 1591. Christophorus.



# Epigramma ad Lectorem.

PErlege Lector opus,lege gẽmas,perlege leges.
Qui legit has leges, aurea poma legit.
Verè nouo pulchros , in pulchro gramine flores
Sponte tibi Triadis , parturit almus ager.
Hos rigat viua Fides:purgat labor: æmula plãtat
Virtus: ſeruat honor: ſpes alit:auget amor.

## *Epigramma ad librum.*

I Liber, i fœlix,fauſto pede perge per orbem:
Sub Cenſore tuo ſtat via tuta tibi.
Pondere quemq; ſuo, tua trutina põderet: æquũ
Ius ſerua: integritas ſit tibi amica comes.
Tu Leo,tuque Agnus, gladiũ tua dextera: ſcutũ
Læua ferat , duros percute: ſerua humiles.

## *Epigrãma in laudem operis.*

QVæ modo facta vigẽt præcepta,antiqua refor
Cõſtituuntq; alto iura paterna loco. (mãt.
Præſule Chriſtophoro decus hoc affulſit in orbe,
Huic debetur opus, gratia, cura, labor.
Sed ſanctæ Triadi ſit gloria, vera voluptas,
Fáma, ſalus, virtus, laus, honor, imperium.

# PROLOGVS.

IN NOMINE §.1
*Sāctæ, atque Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum. Cum legum multitudo potiùs vitam obruere regularem, quàm obſeruantiam inſtruere (teſte experientia) comperiatur, earūdemq́; frequens mutatio grauitatem tollat, dum pro nihilo ducātur, quæ temporis inſtabilitate mutantur, & variantur, ſatius viſum eſt, his occurrere, ne & multitudine obliuioni mandentur, &*

*varietate vitam fratrum, innouẽt, & mutent. Quod profectò eo melius fiet, ſi perpetuò duraturo chyrographo, ſiue tabulis obſeruanda conſcribantur: non enim paſſim, ac niſi pro graui, vrgentiq́ cauſa conſtitutiones fieri decet.*

§.2 ¶ *At verò, vt conſtitutionum multitudo vitetur, prohibemus omnino, nè aliquid de cætero per modum conſtitutionis habeatur, niſi per duo Prouincialia capitula cõtinua fuerit approbatum, & in tertio capitulo immediate ſequenti confirmatum. Si aliquid tamen de nouo ordinetur, quod non ſit contra has conſtitutiones ſtatim obligabit non per modum conſtitutionis, ſed ſimplicis ordinationis.*

*Si verò ſit contrà, nullo modo ſeruandum erit, niſi poſt dictam cõfirmationem tertij capituli: quod ſi aliquid horum defuerit, vim conſtitutionis non habeat.*

*¶ Et vt ſecuritati religioſorum cõſcietiæ in poſterum prouideamus, volumus, & declaramus, Regulã & Cõſtitutiones noſtras nõ obligare nos ad culpam, ſed ad pœnã, niſi propter formale præceptum, vel contemptum.* §. 3

*¶ Præceptum verò in Regula nullum intelligimus, neque in conſtitutionibus volumus contineri, niſi quod ex natura ſua, ex ratione trium votorum, vel diuinæ, aut eccleſiaſticæ legis, aut vbi ſententia excõmunicationis infligitur, aut* §. 4

*formaliter exponitur, per verbum Præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, vel Spiritus ſancti, vel ſub præcepto formali: atque idem in ordinationibus, & prælatorum verbis, iuſsionibus, & literis intelligi volumus.* Pœnam *etiam excommunicationis latæ ſententiæ, tam in conſtitutionibus, quàm extra per nulla verba in noſtro ordine intelligimus, niſi vbi explicitè, & verbaliter pœna excommunicationis, & excommunicatio (ipſo facto) incurrenda, vel latæ ſententiæ exprimitur.* Nec *Prælati in exteriori ira præcepta faciant obligantia ad mortale, maximè cõtra ſubditũ turbatũ, quòd ſi fecerint, irrita ſint, & inania, va-*

*leant tamen ad quaſcunq; pœnas tēporales. Præcepta verò in ſcriptis facta, cēſeantur ſine ira facta: neq; quieto animo, niſi in ſcriptis, (extra neceſſitatis articulū) præcepta faciant, ſed ſi fecerint, ſuam vim roburq; habeant.*

¶*Pœnis verò tā abſolutionis ab of*- §.5
*ficio, quàm ſuſpēſionis ab eodē, & priuationis vocis actiuæ, vel paſſiuæ, necnō grauioris culpæ, & alijs maioribus, quantūcunq; tā in cōſtitutionibus, quā extra ſint incurrendæ, (niſi ſit pœna excōmunicationis latæ ſentētiæ) nullus omnino ſit ſubiectus, niſi ſuperueniat declaratio prælati in particulari, reſpectu huius, quantūcunq; etiam notoriū facti, vel iuris, vel vtriuſq;*

interueniat. Nullus etiam P. Prō uincialis per ſe, aut alius inferior Prælatus, poſsit ad pœnā grauioris culpæ, vel carceris aliquē damnare, niſi P. Prouincialis ſimul cū viſitatoribus, vel cū diffinitorib⁹, aut Patribus à cōſilijs, in abſentia præfatorū id efficiat, reliqui verò Prælati, nullo modò ſine Patribus à cōſilijs id præſtare poſsint: at verò in flagranti delicto, quod ſecūdum has conſtitutiones pœnis grauioris culpæ dignum cēſeatur, tam P. Prouincialis, quàm reliqui Prælati delinquentem ad cuſtodiam in carcerem valeant conijcere, ita tamen, vt prædicti Prælati intra viginti quatuor horarum ſpatiū, Patres à conſilijs conſulant, Pater

verò

*verò Prouincialis, à viſitatoribus vel definitoribus, aut patribus à conſilijs exquirat, an talē eſſe carceri mancipandum vſque ad definitiuam ſententiam deceat, attamen extra flagrans delictum, in cellam eum detrudere poterunt, quando eis viſum fuerit, dummodo etiam intra vigintiquatuor horarum ſpatium præfatum conſilium à prædictis patribus eodem modo accipiant.*

*¶Ordinationes autem tam Capitulorum Generaliū, vel maioris Miniſtri ordinis, quam Prouincialis vel Capitulorum Prouincialium, (quoad vim præcepti & cenſurarū eccleſiaſticarū (cum ipſis finiri, & expirare volumus. Vita verò* §.6

*Capituli, & tempus ipſius, vſque ad ſequens Capitulum intelligatur, quoad reliqua verò quomodolibet, per generale Capitulũ, vel maiorem Miniſtrum facta, durare volumus, donec per ſimilem poteſtatem fuerint reuocata. Ab inferioribus autem Capitulis, & prælatis quomodolibet ordinata, niſi per ſequentia Capitula confirmentur, cum ipſis finiãtur (exceptis prædicatoribus, & confeſſoribus) hos enim volumus cum ea auctoritate permanere, quam habent, donec reuocentur ab eo, qui poteſtatem, & imperium habet deſtituendi eoſdem. Caueant etiam, prælati à præceptorum multitudine, vel cenſurarum, aut ordinationum,*

*num, ne laqucos animabus ſubditorum inijciant, ne propter defectum vnius, vel duorum, quem vel quos fortaſſè non audet emendare, totam communitatem inuoluant.*

(*)



# LIBER PRIMVS,

## Caput primum.

QVONIAM ex
§.1 præcepto Regulæ
ſacræ noſtræ Reli-
gionis iubemur ha-
bere cor vnum, &
animam vnam in Dño, iuſtũ eſt,
vt qui ſub vna regula, & vnius
profeſsionis voto viuimus vni-
formes in obſeruãtiis Canonicæ
Religiõis inueniamur, quatenus
vnitatem (quæ interius eſt ſeruã-
da in cordibus) foueat, & vnifor
mitas exterius ſeruata in mori-
bus repræſentet. Quod profectò
cò competentius poterit conſer-
uari, ſi ea, quæ agenda ſunt, ſcrip
to fuerint commendata, ſi omni-
bus, qualiter ſit viuendum (ſcrip-
tura teſte) innoteſcat. Si mutare,
vel addere, vel minuere, nulli cui
quam pro voluntate liceat. nè ſi
minima neglexerimus, paulatim

deflua

defluamus. Ideò præcipimus, quod in omnibus Prouintiæ domibus, eiſdem Cæremonijs, & Conſtitutionibus fratres vtātur. Qui verò hac in re negligentes fuerint, grauiter puniantur.

## ¶ *Caput ſecundum. De Officio diuino, & Cantoribus.*

CVM nihil operi Dei ſit præponendum, in primis ſtatuimꝰ, quòd omnes religioſi noſtri Ordinis exiſtentes & §. 1.
commorantes in noſtris Conuentibus, & domibus, audito primo ſigno ſurgant ad Matutinas, & iuxta Chorum congregentur cū ſilentio: factóque ſecundo ſigno, ordinatim omnes in Chorū ingrediātur, quod idem, ad Primam, & cæteras horas obſeruari volumus, Regularibus,

& Canonicis horis,tam laici, quàm clerici intereſſe debet, & qui operibus præſunt,vel aliis deputati ſunt: Exceptis duntaxat, debilibus, & propter infirmitatem ad Eccleſiam venire non valentibus, & his etiam exceptis, cum quibus Prælatus ob prædicationem,vel ſtudium, ſeu laborẽ diſpẽſare voluerit: quod ſi aliqui ſine iuſta cauſa,vel ſine Prælati licentia,in Choro,Veſperis,Matutinis,& maiori Miſſæ nõ interfuerint, ad prandiũ primæ menſæ diei nõ feriati,in medio refectorij genua flectere, & ibi ſic manere teneantur, quouſq; à Prælato ſiue Præſide, cũ eis diſpenſetur, vel (ſi viſum fuerit ob aſſiduitatẽ culpæ)in terra comedere iubeantur.

§. 2. Nullus incepta hora Canonica, vſq; ad ei⁹ finẽ,è Choro exeat,ſi autẽ neceſſaria cauſa,quis cũ facultate exierit morã nõfaciat,quã ſi fecerit,culpã ſuã in Capitulo agnoſcat.

In

In feſtis omnibus primæ claſsis, §.
& in cõmemoratione omniũ defun
ctorũ, omnes (quãuis graduati ſint)
Matutinis interſint, exceptis infir-
mitate laborãtibus, & prædictorum
feſtorũ cõcionibus occupatis: ſi qui
in Choro, Veſperis, Matutinis, &
maiori Miſſæ nõ interfuerint, ad prã
diũ primæ menſæ diei nõ feriati, in
medio refectorij genua flectere, &
ibi ſic manere teneantur, quouſq; à
Prælato ſiue Præſide cũ eis diſpẽſe-
tur, vel (ſi viſũ fuerit ob aſsiduitatẽ
culpæ) in terra comedere iubeãtur.

Officiũ autẽ diuinũ per anni cir- §.4.
culũ à noſtris fratribus recitari vo-
lumus, iuxta ritũ Romanæ Curiæ, &
ſeruata forma Breuiarij, & Miſſalis
Romani Pij V. Põt. Max. iuſſu editi,
vel quæ ꝓ tẽpore à ſancta Romana
eccleſia ſeruata fuerit: in cæremo-
niis verò, tã in Choro, quã in eccle
ſia ſeruẽtur, per omnia, quæ in ordi-
nario noſtri ordinis continentur.

c. 5. Miniſter cum ſuis fratribus ſimul Choro interſit, diligenterque ſtudeat, vt horæ cum reuerẽtia, & Dei timore dicantur: in cantu non fiant magnæ voces, ſeu vlulationes, ſed leniter, & ſuccinctè dicãtur ſine exclamatione, & longo puncto, ita quòd in media clauſula pauſetur, neque alter Chorus verſum ſuum incipiat, donec verſus alterius Chori plenè fuerit terminatus: nullus alium, in pſallendo præueniat, aut ſequatur, ſed ſimul omnes conueniant. Miniſtri præcipuis feſtiuitatibus officium agant, dummodò legitima occupatione impediti non ſint, ita tamen, vt P. Prouincialis, quando præſens fuerit, in die Natiuitatis Domini, Reſurrectionis, Penthecoſtes, & Sãctiſsimæ Trinitatis, & feria quinta in Cœna Domini, officium celebret, & in feſtiuitate Purificationis Beatæ Mariæ virginis, benedicendi cereos munus exerceat,

ceat,& Cineres feria quarta in capite ieiunij,atque ramos in Dominica Palmarum, & in die ſanctæ Catharinæ virginis &martyris,& feria quarta Cinerum, atque feria quinta Maioris hebdomadæ, generales noſtri Ordinis abſolutiones populo impendat. Miniſtri verò in omnibus feſtiuitatibus primæ claſsis (exceptis ſupradictis,quãdo P. Prouincialis adfuerit) & feria ſexta Paraſceues, & Sabbatho ſancto, & in die Transfigurationis Domini, atq; in feſto 2. Sanctæ Agnetis, quod euenit in die vigeſimo octauo Ianuarij, (in quo noſtra ſacra Religio Innocentio III. Pontifici Maximo, diuinitus fuit reuelata) officium peragant,Miſſamq; diei, Natiuitatis Domini faciant, quia licet P. Prouincialis adſit, hac die ſolam primam Miſſam è tribus celebrabit. Feſtum etiam ſanctæ Agnetis 2. ſolemniter celebretur, & in eo prædicatio ha-
 beatur,

beatur, de inſtitutione dignitate, & prærogatiuis noſtri ſacri Ordinis. Præfati etiam Miniſtri religioſorum profitentium vota excipiant, ac reliquas cæremonias, ad hoc pertinẽtes, prædictasque abſolutiones, & benedictiones, in P. Prouincialis abſentia efficiant, quos in domino admonemus, vt in diebus quibus in noſtris domibus aliquorum ſanctorum, ſeu Confraternitatum feſtiuitates ſolemniter celebrari ſolent, illis ſtudeant inſeruire: in feſtis autem ſecundæ claſsis, & in primis diebus octauarum Natiuitatis Domini, Reſurrectionis, & Penthecoſtes, Patres Vicarij officium adminiſtrent, & Miſſam in Aurora Natiuitatis Domini decantent: in reliquis verò harum feſtiuitatum Octauis, quæ feriantur, Patres à conſiliis ſuo ordine id præſtent.

§. 6. Sanctum prætereà Euchariſtiæ

Sacramentum ( quod in mundiſsimis Corporalibus, & in Cuſtodia clauſum eſſe debet) omni quinta feria, in Miſſa maiori volumus innouari.

Ad placandam diuinæ maieſtatis offenſam, & vt ſtatus noſtræ ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, cum Regnis Chriſtianorum, Principum, Regum, totiusq́; populi Chriſtiani conditione perſeuerare poſsit (Deo adiutore) in fide inuiolabili, & ſpe firma, cum charitate nõ ficta, & inextinguibili, ad extirpationem, & cõfuſionem Hæreticorũ, Turcarum, & Maurorũ, ſtatuimus, vt quotidie orationes, obſecrationes, poſtulationes, & gratiarũ actiones fiant in Choro, poſt orationem mentalem, pro ſanctiſsimo Domino noſtro N. ſummo Põtifice, & N. Rege Catholico, prout in Cæremoniali noſtri Ordinis diſponitur, ſub pœna grauioris culpæ. §. 7.

§. 8. Fratres verò laici cum ad Matutinas ſurrexerint, dicant Pater noſter, & Credo in Deum, quod faciendum eſt, ante Primam, & poſt Completorium. In Matutinis, dicto Pater noſter, & Credo in Deum, dicant, Domine labia mea, & cæt. & Deus in adiutorium meum, & cæt. cum Gloria Patri, & quindecim Pater noſter, dicent, & pro Laudibus, decem Pater noſter, & in fine addãt, Per Dominum noſtrum, & cæt. deinde, Benedicamus Domino, &c. In Veſperis verò, quatuordecim Pater noſter dicant.

In aliis horis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, & Completorio, dicãt pro qualibet hora ſeptem Pater noſter, pro officio minori beatæ Mariæ, dicant tot Aue Maria pro qualibet hora, quot Pater noſter dicunt pro Officio maiori in qualibet hora, & in fine cuiuſlibet horæ officij Beatæ virginis dicẽt, Salue Regina, & cæt.

In

In omni ſecūda feria præterquā §. 9.
in die octauæ Paſchæ, Pēthecoſtes, Natiuitatis Domini, Circuncisionis, & Epiphaniæ, & præterquàm in feſtiuitatibus, quæ tali feria contingunt, vbi populus feriatur, proceſſio fiat: ſimiliter pro defunctis bene factoribus, & fratribus, quatuor anniuerſaria ſolemnia fiant, vbi Miſſa, & totū officium defunctorum cātetur, & proceſsio fiat, ſcilicèt, ante feſtum Paſchæ, Penthecoſtes, Natiuitatis Domini, & in commemoratione omnium fidelium defunctorum, atque ſingulis totius Quadrageſimæ Dominicis, Veſperæ, & vigiliæ defunctorum recitentur, prout in Breuiario aſsignantur.

Ne ſuffragiorum & Miſſarum gra §. 10.
uamina noſtris Conuentibus imponantur, nulla perpetua obligatio ad certas Miſſas, vel ſuffragia admittatur, niſi tale fuerit ſuſtētationis annexum ſubſidium, quod prudentiū

conſilio ſufficiens æſtimetur, vt verò maiori conſideratione hoc fiat, volumus, quod huiuſmodi contractus rati non habeantur, niſi Prælati & maioris partis Conuentus aſſenſus acceſſerit; Prælati oppoſitum facientes à ſuis officijs abſoluantur.

§. 11. Prælati religioſis infirmis omnia ſacramenta adminiſtrent, ſi verò moriantur, ipſorum commendationem, & omnia alia officia ſepulturæ, & diei obitus efficiant.

§. 12. Vt officia diuina melius fiant, ſtatuimus, vt in quolibet Monaſterio noſtri Ordinis, ſint quatuor Cantores, ſcilicèt, duo Maiores, quibus tale munus Miniſter commendet, & duo minores, qui in vnaquaq; hebdomada in Tabula officiorum nominentur: & omnes ſuum officium præſtabunt, prout eſt in Cæremoniali Ordinis.

§. 13. Religioſorum ſaluti, labori, & vigiliis conſulere ſtudentes, vt inte-

gris viribus,& perfecta valetudine, melius,& facilius Deo valeant inſeruire ſtatuimus, vt à Dñica Reſurrectionis Dñi, vſque ad feſtiuitatẽ ſanctæ Crucis Septembris (excluſiuè) Matutinæ in Choro prima nocte recitentur. Extra verò hoc tempus ad mediam noctem dicantur.

## ¶ *Caput tertium. De ſuffragiis fratrum defunctorum.*

OMnes Miniſtri ad §. 1.
Prouinciale Capitulum numerũ, & nomina fratrũ in ſuis Cõuentibus, vel extrà, è vita diſceſſorum deferant, vt cõſtet ſi tam in ipſa, quàm in aliis domibus ſuffragia, quæ ſtatuta ſunt, in hac noſtra Conſtitutione, pro ipſorum animabus, ſunt adimpleta, & vt ibidem,

dem pro eiſdem Miſſa cum proceſſione decantetur. Miniſtri verò huius ſtatuti, immemores pœnæ grauis culpæ ſubiaceant.

§. 2. Cum quilibet religioſus, tam clericus, quàm laicus, in infirmitatem inciderit, ſtatim pœnitentiæ ſacramenta de manu ſui Prælati, vel alterius de eius licentia accipiat, at in graueſcente morbo, Euchariſtiæ ſacramentum ei conferatur, in cuius ſuſceptione infirmus extremam petat vnctionem (cum neceſſaria fuerit) & tunc ei diligenter ſubminiſtretur, qui cum in articulo mortis fuerit: bis ſigno tabellæ facto, omnes ad domum infirmi properent, dicẽtes, Credo in Deum, &cæt. Si verò illo tempore Religioſi officio diuino, vel communitatis fuerint impediti, qui in eodem loco præfuerit, aliquos ad infirmi domum mittat, (donec omnes eò ſimul cõueniant) qui protinus Litanias, & reliqua in ordi-

ordinario noſtri Ordinis contenta deuotè & piè recitẽt, & cum vltima mortis anguſtia fuerit oppreſſus, per tẽporis ſpatium cymbalum pulſetur, & cum tandem animam Deo reddiderit, ter Conuentus cymbala pulſentur, & cætera ad ipſius tumulationem neceſſaria obſeruentur, prout in Cœremoniali noſtri Ordinis diſponitur, & in die obitus Religioſi defuncti, vel ipſo impedito, die ſequenti nouem lectionum officium, & in octauo die, trium ſimul cum Miſſa, & Reſponſo, ſuprà defuncti tumulum decãtetur, & idem quod in octauo die fit, impleto menſe, & anno efficiatur, quilibet etiam ſacerdos domus, vbi defunctus fuerit habitator, pro illo quinquies Miſſam, & vnum nouem Lectionum officium recitet; vbi tamen non fuerit Conuentualis, tres Miſſas, & vnum officium quilibet dicat ſacerdos, in ſingulis aliis domibus,

vnum officium trium Lectionum ſimul cum Miſſa & Reſponſo à Conuẽtu fiat. Religioſi omnes, qui præſbyteri non fuerint, in propria defuncti domo, quinque nouem Lectionum officia, in aliis verò tria dicāt, at laici ſimili modo tot Roſaria Beatæ Mariæ virginis deuotè Deo offerant. In domo vbi Religioſus obierit, per triginta dies continuos, triginta miſſæ ſimul cum Reſponſoriis ſuprà tumulū defuncti celebrentur, ipſisque diebus in refectorio in loco ipſius defuncti perfecta portio, nigra cruce ſignata apponatur, quæ poſt religioſorum refectionem pauperi tribuatur cui commẽdabitur, vt pro defuncti anima humiles preces ante Deum fundat.

§. 3. Siquis autẽ Religioſus è vita migrauerit in aliqua domo, vbi ſufficiens fratrum copia non fuerit, ad præfata diuina officia decantanda, vel extra domos noſtræ Prouinciæ,

ſub obedientia tamen, vitam finierit (dummodò illi propria habitationis domus nõ fuerit aſsignata, quæ id poſsit præſtare) volumus, quod in eius profeſsionis domo, ac ſi in ea habitator, & mortuus eſſet, omnia ſuprà dicta fiant.

Si verò aliquis religioſus ante profeſsionẽ è vita diſceſſerit, ijſdẽ cæremoniis, ac ſi profeſſus eſſet, eiuſdem corpus terræ mãdetur, & quilibet ſacerdos vnã Miſſam pro illo celebret, & reliqui religioſi nõ præſbyteri, vnũ officium nouẽ Lectionũ, & laici vnum Roſariũ Beatæ Virginis pro eodẽ recitent, quod tantum in domo, vbi frater demortuus fuerit præſtetur. §. 4.

Cognito obitu patris, vel matris alicuius religioſi noſtræ Prouinciæ, pro vniuſcuinſque anima vnum officium trium Lectionum cum Miſſa, & Reſponſo à conuentu, vbi habitator fuerit, dicatur. §. 5.

§.6. Omnes autem adhortamur in domino, & illis præcipimus, vt hæc omnia (quoad maximè fieri potuerit) citius adimpleant, & nè triginta dierum ſpatiũ excedant, ipſorum conſcientias oneramus.

§.7. Bona fratris defuncti, quo ad illa, quæ ab aliquo cõuentu habuit, ſint illius; quæ vero aliter acquiſiuit, ſint conuẽtus, cuius eſt filius, at quæ hæreditario iure illi obuenerint, vel obueniunt, erũt conuentus ſuæ profeſsionis. Vt autem hæc noſtra conſtitutio omnibus innoteſcat, quoties aliquis religioſus diem ſuum obierit, præcipimus, vt conuentui legatur.

## ¶ *Caput quartum. De his, quæ ad Redẽptionem captiuorũ pertinẽt.*

§.1. CVM Sacer hic ordo, tam exprimæua ſui reuelata inſtitutione, quã etiam ex regulari præceptione

ceptione ad captiuorum redẽptionem, ſingulariter noſcatur inſtitutus, in ipſaq́; ſe laudabiliter exercuerit, ne à ſimili ſancta inſtitutione, ac pio nominis opere deſiſtat, quinimò indies augeatur, ſtatuimus, vt Pater Prouincialis, quando hoc redimendi munus per ſe exercere noluerit, vel non potuerit, vnum religioſum, in Procuratorem generalem redemptionis captiuorum conſtituat, virum probum, ſtudioſum, prudentem, & de religione benemeritum, cui etiam religioſum ſimilem ad Scribæ munus obeũdum aſſociabit: huius officij eſt captiuorũ redemptiones ſedula diligẽtia procurare, eorumq́ue maximis neceſsitatibus, & periculis ſubuenire, ad quod perfectè adimplendum, à Rege, vel à Magiſtratu, vel à quibuſcunque aliis viris regia officia gerentibus debitum fauorem, & auxilium expoſcat, & vt captiuorum

Redditus ad ipſorum redemptionẽ mittant, ſolicitè curet, Eleemoſynaſque à fidelibus piè erogatas, ad captiuorum libertatem, eorumque medelam (modo infra expoſito) accipiat, & tam ipſe, quàm eius Scriba in noſtro Conuentu, curiæ Regiæ proximiori habitent. Qui quidem Generalis procurator, ob tanti muneris laborem, à Choro, & ab officiorum Tabula, liber ſit & immunis, & ſi concionator fuerit, ad concionandum nequaquam obligetur. Quoties ad hoc Officium præſtandum foras exire conduxerit, id ei ſimul cum ſuo Scriba, accepta prius à Prælato benedictione libenter concedatur, cui etiam Scribæ nullum in Conuentu officium cum ſuo incompatibile commendetur.

§. 2. Præcipimus, vt omnes Eleemoſynæ à fidelibus prædicto Procuratori conceſſæ, in Archam duabus cla-

clauibus percluſam conijciatur, quarum vna eidem, altera verò eius Scribæ tradatur, & eandem Archam adaperire, indeq; aliquid extrahere, vnus ſine altero nequeat: hæ Eleemoſynæ ab vtroque ſimul recipiantur,&in duobus libris conſcribantur, qui à P. Prouinciali per folia computentur, & conſignentur, quorum vnus intra dictam Archã ſemper clauſus exiſtat, alius verò foris ſit apud Procuratorem ad reddendam negotiatoribus rationem, quibus omnium acceptorũ chirographa vtriuſque manu ſubſcripta tradat idem Procurator, appoſitis clauſulis ordinariis eorundẽ librorum.

Quando P. Prouincialis ſimul §. 3.
cum Viſitatoribus, domum habitationis Procuratoris generalis Redemptionis captiuorum viſitauerit, per hos libros ab eodem, in ipſius etiam Scribæ præſentia,

rationem exigat. Si autem P. Prouincialis hoc munus exercuerit, tũc hãc rationem Viſitatoribus reddat, terminusque in iiſdem libris præſtitæ rationis affigatur, à P. Prouinciali & à Viſitatoribus ſubſcriptus.

§. 4. Prædictæ eleemoſynæ nulli commodentur, neque ad alios vſus, niſi tantum ad captiuorum redemptionem, eorumque neceſsitates conuertãtur, & nullus Prælatus eas poſſit vllo modo diſtribuere, neque accipere, etiam ratione mutui, quãuis maxima eum vrgeat neceſsitas, neque in eis expendendis ſe intromittat, quæ omnia in hac Conſtitutione cõtenta, inuiolabiliter, obſeruari iubemus, ſub pœna grauioris culpæ, & ſub formali obedientiæ præcepto, & ſub pœna excõmunicationis latæ ſententiæ, cuius abſolutionem P. Prouinciali reſeruamus, ſub iiſdemque pœnis omnibus noſtræ Prouinciæ religioſis cuiuſuis Ordinis,

nis & ſtatus, mãdamus, ne has eleemoſynas ad redimendos captiuos, eorumque ſubuentionem conceſſas accipere poſsint, niſi Prælati Cõuentuum (vbi Generalis captiuorũ procurator tunc nõ extiterit) ſimul cum depoſitariis, vt vbi primum potuerint, ad eundem procuratorem eas transferant.

Cum autem P. Prouincialis per §.5.
ſe tam pium opus præſtare voluerit, aliquem religioſum idoneũ ad Scribæ officium eligat, & vterque omnia hîc diſpoſita, ſub iiſdem pœnis cuſtodire teneatur.

## ¶ *Caput quintum. De Patribus, qui mittendi ſunt ad redemptionem captiuorum.*

QVotieſcunque Regis
iuſſu aliqui Religioſi §.1.
noſtræ Prouinciæ, ad redemptionem capti-

uorum fuerint poſtulati, iuxta Pactum inter prædeceſſores Reges huius Regni, & noſtrum Ordinem ſolemniter celebratum, & ad eorum preces à Summo Pontifice Pio Quinto confirmatum, P. Prouincialis alacri animo, eos concedere teneatur, tales, quales ad hoc conducere ſibi viſum fuerit, quibus Inſtructionem præbeat, qua ducti in tanto negotio ſe bene habere poſſint, quos ſpecialiter admonemus, ne pecuniam, vel quæcunque alia bona accipiant, quorum à Magiſtratibus poſteà ratio exigatur: Si tamen aliquo modo hæc eis tribuãtur, vel ea accipiant, neque ipſi, neque P. Prouincialis, aut alii noſtri Ordinis Prælati, ad eorum retributionem, & ſatisfactionem teneantur, neque Prouinciæ, ſeu Monaſteriorum Cenſus, Redditus, ſiue Prouentus, ad hoc valeant obligare, quòd ſi fecerint, irritum maneat,

&

& ex nunc id annullamus, ita vt nullam vnquam omnino obligationem poſsit inducere.

Religioſis omnibus, qui ad redimendos captiuos electi fuerint, ſub omnibus ſupradictis pœnis mandamus, nè in Infidelium Regionibus, pro aliquo captiuo, ſpondeant, vel ſe obligent, niſi certo Redemptionis pretio conſtituto, quale indubitanter eis conſtiterit apud Patres cum iiſdem negotiantes exiſtere, & nullus eorum ad terras Infidelium, in alicuius captiui redemptionem literas fidedignas mittat, niſi integrũ libertatis pretium, vel in numerata pecunia, vel in quocunque dono aureo, ſeu argenteo, apud ſe habeat, cum facultate tamen, id vendendi, intra menſem poſt captiui redemptionem. §. 2.

Quando aliqui religioſi ad redimendos captiuos miſsi fuerint, Procurator generalis illis tradat, tam §. 3.

pecuniam, quam quæcunque alia bona ſibi commiſſa, ad libertatem, & medelam captiuorum illius Prouinciæ, in cuius fines patres mittuntur, qui quidem in dictis libris tales, & tantas eleemoſynas ſe acceptiſſe fateantur, & ſubſcribant: cum verò fuerint reuerſi, quæ ſuperfuerint, iterum eidē procuratori, ſimul cum ratione reliquarum expenſarum fideliter reddant, à quo chyrographū remiſsionis accipiant, quod in omni tempore fidem faciat, cuius exemplar per procuratoris ſcribam in illis libris apponatur.

§. 4. Statuimus & mandamus, vt Miniſter domus noſtræ Ceptenſis, in ipſa ciuitate ſemper redimendi captiuos curam gerat, cui P. Prouincialis ſocium, & ſcribam aſsignet, & vterque omnia, in hac Conſtitutione, & ſuperiori diſpoſita ſub iiſdem pœnis obſeruet, qui Miniſter generali captiuorū procuratori diligenter

ter, reſpondeat circa eorundem negotia, eundemq; certiorem faciat de rebus omnibus, quæ ad fidelium captiuorum optimam libertatem ſpectant. Quod ſi in re tam graui & pia neglig͂eter ſe habuerit, ad arbitrium P. Prouincialis, & Viſitatorũ, ab officiis ſuſpendatur.

Antequàm ad Capitulũ Prouinciale Miniſter Ceptenſis veniat, Patri cui domus regimen, & bona ipſius tradiderit, omnes eleemoſynas quas habuerit ad captiuorum redẽptionem, relinquat, vt vſq; ad futuri miniſtri aduentum, eodem redimendi munere fungatur, quarum quantitatẽ deſcribant, & ſubſignẽt in duobus libris, illis ſimilibus, quos Generalis captiuorum procurator habet quorum vnum ſecũ deferat, ad reddendam rationem P. Prouinciali, & Viſitatoribus: alius verò in eleemoſynarum archa clauſus ſemper maneat. & tam Miniſter, quàm §. 5.

eius ſocius, in omnibus, & per omnia, præceptis & ſtatutis Regiæ Maieſtatis (ſecundum formam noſtri Contractus) obediant, ſub pœna grauioris culpæ, & ſuſpenſionis ab officiis, & à quibuſlibet aliis Ordinis noſtri dignitatibus.

§. 6. Miniſter Ceptenſis priuſquàm in domũ ſuã proficiſcatur, duos libros per folia cõputatos, & conſignatos à Patre Prouinciali accipiat, & vt ad noſtrum Conuentum Ceptenſem peruenerit, in ipſis apponi faciat, ab eius Socio, ſummatim quantitatem Eleemoſynarum, quas domi repererit, & propriis nominibus & ſignis, hanc traditionem ſubſcribant, tam ipſe, quàm qui anteà præerat, quorum librorum vnus in dicta Archa præcludatur, alius verò foris deſeruiat, vt huius Statuti & ſuperioris ordo ſeruetur.

Capus

## ¶ *Caput ſextum. De Communitate ſeruanda, Depoſito, & Cellario.*

CVM Huius noſtræ Congregationis fratres, non ſolum facultatibus, ſed voluntatibus propriis renūciauerint, in ipſamet Ordinis acceptione, & ſemper promiſſam obedientiam, penitus Prælatorum poteſtati, & imperiis in Chriſto, & pro Chriſto ſubdiderint, certum eſt nihil habere, poſsidere, dare, vel accipere, ſine Superioris licētia debere, & ne oppoſitum, facientes incidant in Saluatoris ſentētiā dicētis, nemo mittens manū ſuam ad aratrū, & reſpiciens retrò, aptus eſt Regno Dei, ideo prout in Cōc. Trid. decretū eſt. Nemini Regulariū iſtiꝰ Ordinis bona immobilia, vel mobilia, cuiuſcunq; qualitatis fuerint, etiā quouiſmodo §. 1. Seſ. 25. c. 2. de regul.

ab

ab eis acquiſita tanquàm propria, aut etiam nomine Conuentus poſsidere vel tenere liceat, ſed ſtatim ea ſuperiori tradantur, & Conuentui incorporentur: nec deinceps liceat ſuperioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere, etiam ad vſum fructuum, vel vſus adminiſtrationẽ, vel commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, ſeu Conuentuum, ad ſolos officiales eorundem (ad nutum Superiorum amouibiles) pertineat: mobilium verò vſum ita ſuperiores permittãt, vt eorum ſuppellex ſtatui paupertatis (quam profeſsi ſunt) cõueniat, nihilque ſuperfluum in ea ſit, nihil etiam, quod neceſſarium ſit eis denegetur, quod ſiquis aliter quidquã tenere, deprehenſus, vel conuictus fuerit, is biennio actiua & paſsiua voce ſit priuatus, atque etiam iuxta Regulã & ordinis Cõſtitutiones puniatur.

Ex-

Excommunicationis ſententiam §. 2.
ſemel in anno Miniſter (videlicet) in Cœna Dñi, in Capitulo ante Miſſæ celebrationem, ſolemniter contra proprietarios pronunciet, & ibidem omnes fratres teneantur claues Miniſtro offerre, & humiliter tradere, & omniũ priuatas (nullo excepto) cellas viſitet, quoties ei viſum fuerit: & ſiquid paupertatis ſtatui non conueniens inuenerit, auferat, & communi vtilitati applicetur. Quotieſcunque Miniſter clauem à fratre petierit, ei tradatur. Proprium autẽ iuxta ſacros Canones appellamus, quidquid Prælato celatur, vel contra eius voluntatem tenetur.

Prohibemus inſuper, ſub pœna §. 3.
grauis culpæ, ne aliquis Miniſter, ſeu frater noſtri Ordinis, depoſitum extra domum habeat, vel temerè theſaurizare præſumat, neque intra domum, vel extrà, aliquid Prælato celet. Siquis hoc committere non

eru-

erubuerit,ſiue Miniſter, ſiue frater fuerit, bona illa omnia ſic reperta amittat, & Infirmariæ vel communi vtilitati applicentur, ſine diſpenſatione.

§.4. Statuimus præterea in quolibet noſtri Ordinis Monaſterio (vt in cõſuetudine eſt) pro Communitatis depoſito Archam tribus clauibus clauſam conſtitui: quarũ vnam Miniſter, alias verò duo fratres ex Religioſioribus à P. Prouinciali, Miniſtro, & Vicario, vocaliter electi, habeant, qui Depoſitarij appellentur. Quidquid vndecunque licitè venerit in nummos reddactum, in tali Depoſito reſeruetur: quæ omnia Conuentus Scriba, in libris receptionis & ſumptus diſtinctè apponat. Si autem aliquis ex Depoſitariis foras ita debeat proficiſci, vt extra Monaſterium pernoctet, ante eius egreſsũ, alius Religioſus Præsbyter loco eius ab omnibus Depoſitariis

voca-

vocaliter ſubrogetur, hi Procuratori domus pecuniam ad diſtribuendum largiantur, qui quacũque hebdomada omnis pecuniæ acceptæ & diſtributæ, Miniſtro & Depoſitariis rationem reddat. Miniſter verò, & Depoſitarii, in qualibet viſitatione, de Redditibus domus, & de omnibus receptis & diſtributis, rationem reddere teneantur.

Si verò aliquando neceſſe fuerit §. 5.
nummos mutuos accipere ad ſumptus domus, in Archã Depoſiti protinus conijciantur, & inde etiam, poſteà ex acceptis Conuentus redditibus creditoribus ſatisfiat. Nihil rerũ mobiliũ, ſine Depoſitariorũ cõſilio, & aſſenſu, venũdetur, nihilq; de nouo accipiatur, quin prius in libro in dicta Archa clauſo ſcribatur, & ſtatim illis cuſtodiẽdũ tradatur. Nullus oĩo pecuniã poſſit recipere, nec chirographa receptæ pecuniæ exhibere, niſi in Depoſitariorũ præſẽtia:

chiro-

chirographa verò acceptarum rerũ Prælati ſubſcribant. Miniſter & Depoſitarij diligenter curent, exigere omnes cenſus, redditus, & prouentus Monaſteriorum, tam nummorũ, tritici, hordei, vini, & olei, quàm cæterorum cuiuſcũque qualitatis, vel quantitatis fuerint. Ex his omnibus nihil recipiatur, quin prius numerũ, & rei qualitatem Conuẽtus Scriba propria manu in ſupradicto libro denotet, & in conſpectu Depoſitariorum quidquid fuerit, clauigeris commendetur. Poterit tamen Scriba Conuentus cenſus recipere, & chirographa pecuniæ receptæ à Prælato ſubſignata reddere: dummodò nihil expendat, & quidquid receperit in eodem die depoſitariis tradat, & in libro denotet.

§. 6. Miniſter, & Depoſitarij de omnibus rebus, vndecunq; licitè venientibus à Sacriſta rationem petant, & omnia ab eo recepta in archa Con-

uentus

uentus collocent: ipſe verò ſine licentia & conſenſu eorundem, aliquid expendere nequeat. Quæ omnia & ſingula ab omnibus Prælatis, & Religioſis cuiuſcunque ſtatus, inuiolabiliter cuſtodiri iubemus, ſub pœna grauioris culpæ, & ſuſpenſionis à quibuſcunque officiis, & dignitatibus noſtri Ordinis.

Claues Horrei, vbi triticũ & hordeũ recõdi ſolet, & Cellæ vinariæ, §. 7.
& Oleariæ, quæ duæ eædemq́ue diuerſæ eſſe debent, duobus religioſis à P. Prouinciali, Miniſtro, & Vicario vocaliter electis committantur, & ambo ſimul has Officinas adeuntes ſemper adaperiant, & claudant, quorum vnus clauẽ Domus farinæ habeat: & quidquid ex illis extraxerint, in ſuis quaternionibus notent, vt in fine cuiuslibet menſis Miniſtrum & Depoſitarios de omnibus expenſis certiores faciant: quæ etiã ſub pœnis ſuprà poſitis obſeruabũtur:

& quando horum alter, foras exierit, hic ſuam clauem alicui religioſo fideli commendet, quia poſteà in reddenda rarione ipſi Clauigeri, in omnibus ſatisfacere tenebuntur.

§. 8. In vnoquoque Conuentu noſtri Ordinis ſimiliter ſit, aliud Depoſitũ tribus clauibus obſeratum, vbi ſint tituli Poſſeſsionum & Hereditatũ, cum omnibus Antigraphis, Scripturis, Bullis, Priuilegiis, Teſtamentis, Sententiis, aliiſque ſimilibus: quas claues, Miniſter, & alij duo religioſi à P. Prouinciali, Vicario, & Miniſtro vocalitet electi, teneant: vnde nihil penitus extrahatur, niſi de ſpeciali Prælati licentia, & quod ita fuerit extractum ab Scriba Conuentus in libro prædicto loco ſemper clauſo declaretur, & ad quid, & cui traditũ ſit: ſi aliquando eis opus fuerit, aliquid horum extra Monaſterium mittere, exemplar, & non originale

nale mittant. Miniſter ſimul cum Clauigeris quarto quoque menſe Depoſitum viſitet, & bene diſponat, ita vt omnia quæſita facilè inueniri valeant: qui omnes pariter hunc locum, & claudant, & reſerēt, & maximè ſtudeant, vt Scripturæ publici Tabellionis, ſiue Notarij manu, à propriis formulis deductæ in noſtros libros quam primum transferantur: Prælatus, qui circa hoc ſegniter ſe geſſerit, pœna grauis culpæ emendetur.

## ¶ *Caput Septimum. De Confeſſione, & Communione Fratrum.*

VOLVMVS firmiter obſeruari, vt ſemel, adminus in Septimana, quilibet Frater cuiuſcũq; gradus, vel cõditionis ſit, debitè cõfiteri teneatur §.1.

in Capitulo, in Choro, vel in Sacriſtia, vel denique in aliquo publico, & decenti loco: qui autem hoc facere neglexerit per Superiorẽ ſuũ publicè puniatur. Sacerdotes verò, qui omnibus diebus celebrare debent, toties confiteantur, quoties conſcientias ſuas aggrauatas cognouerint. Religioſi non Præsbyteri, tam clerici, quàm laici ſemel, adminus in hebdomada confiteantur, & vltra hoc toties quoties Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramẽtum debẽt accipere: quod erit in omnibus Dominicis Aduentus, & Quadrageſimæ, & in tertia cuiuslibet menſis Dominica, niſi aliqua feſtiuitas Dñi noſtri, vel Beatæ Virginis proximè interueniat, eo quòd in his omnibus feſtiuitatibus etiã Sacroſanctũ Chriſti corpus, purè & deuotè aſſumere debent. Ipſa verò cuiuslibet hebdomadæ cõfeſsio dictorum fratrum, Prælato, vel eorum Magiſtro

fiat:

ſiat: & ſi ſæpius crimina ſua expiare voluerint, id cũ Religioſo à Prælato ad idẽ electo efficere poterũt: ſi autẽ eidem confiteri erubeſcant, tunc Prælati, facilè eis concedant facultatem alteri confitendi: nè verecundia repetiri exceſſus occaſionẽ præbeat, tardius, vel minus purè, quàm deceat, confitẽdi, ſicut noſtræ ſacræ Religionis Regula adhortatur. Cap. 8. n. 39

§. 2. In confeſsionibus autem, confeſſor ſemper ſedeat (cuiuſcunque dignitatis ſit pœnitens) hic verò vtroq; genu flexo, erectis, iunctisq; manibus ante pectus, capite diſcooperto incipiat, Confiteor Deo, vſque ad illa verba, Mea maxima culpa, incluſiuè: deinde ſimpliciter & humiliter, non per clauſulas vniuerſales ſolũ, ſed in particulari de omnibus peccatis ſuis, ac circunſtantiis neceſſariò explicandis, ſe accuſet, & in fine ſubiungat: De his, & aliis meis peccatis, me reum confiteor, & veniam

deprecor: ideo precor Beatam Ma-
riam, & cætera. Poſteà confeſſor ſa
lutarem pœnitentiam ei imponat,
& abſolutionem iuxta ſolitã formã,
& in Cæremoniali Ordinis diſpoſitã.

§.3. Inhibemus autem, ne aliquis Fra
ter alicui extraneo ſacerdoti, ſiue ſit
religioſus, ſiue ſæcularis, cõfiteatur,
ſi copia Confeſſoris noſtri Ordinis
haberi potuerit. Declaramus etiam
quòd quando Fratres iter agunt,
vel extra locum, vbi eorum Cõuen
tus eſt ſunt, ſi adſit confeſſor Ordi-
nis, non poſſunt alicui Sacerdoti
eiuſdem Ordinis (aliàs non Confeſ-
ſori) confiteri: Fratres tamen venien
tes ad noſtros Conuentus, Fratribus
licentiatis ad audiendum cõfeſsio-
nes, Fratrum ibidem commorantiũ
confiteri poterũt. Si verò in itinere,
vel extra domũ noſtrã confeſſor de
fuerit, cuilibet Sacerdoti noſtri Or-
dinis poterũt cõfiteri: & ſi ob aliquã
cauſam hi fratres ſuis ſociis peccata

ponere erubuerint, tunc cuilibet alteri Sacerdoti, qui eos poſsit audire, confiteantur.

Nullus Confeſſor poſsit aliquem Fratrem noſtri Ordinis abſoluere à transgreſsione triũ Votorũ eſſentialium, per actũ externũ, ſcilicet, Obedientiæ, Caſtitatis, & Paupertatis, ſine ſpeciali Prælati licentia. Siquis autẽ contrariũ fecerit, nulla ſit abſolutio, & grauiter puniatur. §. 4.

Domorũ Prælati, ſibi Caſus reſeruare nequeant, neq; Excõmunicationes imponere, ſine conſilio & aſſenſu Patrum à conſiliis, vel vbi hi defuerint, ſine cõſilio & aſſenſu duorũ Religioſorũ illius domus, in Religiõe antiquiorũ. Declaramus quòd quãdo alicui peccato reſeruato annexa fuerit aliqua cẽſura, nõ ſufficit licentiã petere abſoluẽdi à peccato, ſed oportet, vt Cõfeſſor petat à Prælato poteſtatẽ per hæc verba, Cõcede mihi poteſtatẽ tuã ad abſoluẽdũ. §. 5.

§.6. Miniſter cuiuslibet domus poteſt abſolui à ſuo cõfeſſore, ab omnibus caſibus ſibi reſeruatis, nõ tamen ab illis, quos P. Prouincialis, ſeu Reuerẽdiſsimus pater Generalis, ſibi reſeruauerint. Pater verò Prouincialis, abſolui poterit ab omnibus caſibus, præterquàm ab illis, quos ſibi Reuerendiſsimus P. Generalis reſeruauerit.

§.7. In quolibet noſtri Ordinis Monaſterio P. Prouincialis, & Miniſter, conſtituãt vnum, vel plures Religioſos, ex dignioribus & grauioribus, qui in foro conſcientiæ tantum poſſint fratres abſoluere ab omnibus caſibus, & cenſuris, reſeruatis per noſtras Conſtitutiones, & Ordinationes: non poterunt tamen abſoluere à caſibus, ſiue cẽſuris, quas Prælati ſibi ſpecialiter reſeruauerint.

§.8. Nullus autem frater, tã clericus, quàm laicus, in aliquo horum dierũ quibus Sacroſanctæ Euchariſtiæ

ſum-

ſumptio præcipitur, poſsit à Cõmunione abſtinere, ſine manifeſta rationabili que cauſa, & ſine expreſſa Prælati licentia. Sacerdotes etiam, cæcitate, aut aliqua alia infirmitate vel impedimento perpediti diebus prædictis communicare teneantur. Omnes itaq; fratres cuiuslibet Gradus, Ordinis, & Dignitatis, Feria quinta in Cœna Domini, de manu Prælati venerabile Euchariſtiæ Sacramentum humiliter accipiãt. Modus denique adminiſtrandi Sacramentum Altaris, tam Religioſis, quã laicis, in Cæremoniali noſtri Ordinis comperietur.

## ¶ *Caput Octauum. De Ieiuniis, & Diſciplina Fratrum.*

ADominica prima Aduentus, vſque ad Natalem Domini, continuum habeant fratres §. 1.

ieiunium (exceptis Dñicis diebus) neq; cũ aliquo diſpenſetur, niſi ex iuſta & ratiõabili cauſa: & à Quinquageſima vſq; ad Paſcha, & omnibus Sextis feriis) etiã inter Paſcha, & Pẽthecoſtẽ) niſi feſtũ Primæ claſsis occurrerit, & in omnibus Vigiliis feſtiuitatum B. Virginis Mariæ, quæ feriãtur, & in Vigilia Aſcenſionis Dñi. A Quinquageſima vſque ad Paſcha, & in Aduentu Domini, & in ieiuniis ab Eccleſia inſtitutis, vtantur Fratres cibo Quadrageſimali: in Paraſceue verò, in pane & aqua ſuper nudam tabulam, in Prandio abſtineant.

§. 2. Qualibet Sexta feria Aduentus, & in Quadrageſima Feria quarta, & ſexta, & in Maiori hebdomada, Feria quarta, quinta, & ſexta, omnes ſimul (excepta infirmitatis cauſa) in Choro diſciplinã habeant, cũ Pſalmo Miſerere mei Deus & cæt. & Antiphona Chriſtus factus eſt pro nobis

bis, & cætera, & Oratione Reſpice quæſumus, & cætera.

## ¶ *Caput Nonum. De Refectione Fratrum.*

VNIVERSI Fratres ad §. 1.
vtramq; refectionem, Prãdii, ſcilicet, & Cœnæ, poſt primam pulſationẽ lotis manibus in locum Deprofundis nuncupatũ, conueniant: & poſt ſecundam pulſatiõnem Cãtor ſtans detecto capite, incipiat Pſalmũ, De profundis, quẽ omnes ſedentes, ſimiliter recitabũt, exceptis Fratribus non Sacerdotibus, qui ſtent. Et omnes dicentes, Requiem æternam, & cæt. ſurgant. Et dicto Pater noſter ſecreto, Hebdomadarius clara voce dicat, Et ne nos inducas in tentationem: A porta inferi: Requieſcant in pace: Domine exaudi orationem meam:

Dominus

Dominus vobiſcum: quibus Conuentus plenè reſpondeat: & Sacerdos cum pauſatiõe, & diſtinctè, poſt Oremus, dicat ſequẽtes Orationes, ſcilicèt, Deus veniæ largitor: & Fidelium Deus: quæ terminẽtur, Qui viuis & regnas Deus, in ſæcula ſæculorum: & omnes reſpondeãt, Amẽ. Deinde dicat Sacerdos, Requiem æternã dona eis Domine: Requieſcant in pace: quibus Conuentus reſpondeat. His finitis, in Refectorium ingrediantur, primũ iuniores, deinde ſeniores, & vterq; Chorus hinc & illinc iuxta menſas diuidatur, minoribus inferiùs remanentibus, & ſenioribus (antiquitate numerata à die ſuſceptionis habitus) ſuperiùs aſcendentibus: qui verò Sacris Ordinibus fuerint initiati, iuxta Ordinũ Gradus aliis præſint: Prælatiſq; per medium ingredientibus, omnes Fratres ſeſe inclinabunt, & ſtatim Hebdomadarius dicat, Benedicite, &

Con-

Conuentus proſequatur iuxta traditam formam in Breuiario Romano, quæ pro temporis diuerſitate obſeruetur, tam in principio, quàm in fine prandij, & cœnæ. Finita benedictione Mēſæ, Lector à pulpito dicat Iube domne benedicere, cui Prælatus reſpōdeat (vt moris eſt) & vnuſquiſque reuerenter, antiquitate ſeruata, vt prædiximus, ſedeat. Poſt acceptam benedictionem, Lector ſtatim, in tono Lectionum defunctorum, Lectionem decantare incipiat: quæ ſi ſermone Latino decantetur, in initio dicat Lector: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: quando verò patrio idiomate: Initium Lectionis faciens dicat: Em nome de noſſo ſeñor Ieſu Chriſto.

In fine refectionis tam prandij, quàm cœnæ, dicat Lector, Omnis ſpiritus laudet Dominum, tu autem Domine miſerere nobis: cui Cōuentus reſpondeat, Deo gratias, & om- §.2.

nes

nes ſurgant, & ordinatim ſtent in ſuis Choris, & Hebdomadarius incipiat Deo gratias agere, iuxta præſcriptam normam in Breuiario Romano: & idem incipiat Pſalmum dicēdum pro temporis oportunitate, quē Conuētus proceſsionaliter à Refectorio vſq; ad Capitulū proſequatur: vbi Gratiæ terminabuntur: in Cœna tamen cuiuslibet diei, & in diebus ieiunij Gratiæ in Refectorio finiantur more ſolito.

§. 3. Lectio Prandij in diebus Dominicis, & aliis Feſtiuitatibus feriatis, in Feriisq; Quadrageſimæ, ſit de Homiliis ſanctorum, vel de Sermonibus harum Feriarum, vel Feſtiuitatum, lecto prius titulo Homiliæ, ſeu Sermonis: reliquis verò diebus, ad Prandium Lectio erit Sacræ ſcripturæ, incipiendo à principio vſque ad finem eiuſdem, exceptis Sextis feriis non feriatis, in quibus eodem tenore Regula noſtra decātabitur.

In

InCœna verò, vel Collatione cante tur hiſtoria Sãctorum, vel vitæ Chriſti Liber materna lingua, & legãtur tĩtuli Lectionũ, vt apud nos ſeruatur.

Facto primo ſigno ad Collationẽ, §. 4.
omnes conueniant in locum Deprofundis, & poſt ſecundam pulſationẽ protinus cum ſilentio in Refectoriũ ingrediantur: Et poſtquàm Prælatus ad ſuum locũ peruenerit, vnuſquiſque in proprio loco ſedeat, & modo ſupra expoſito, Lector à pulpito (nõ petita benedictiõe) legere incipiat, & dato ſigno, quãdo Prælato viſum fuerit Hæbdomadarius dicat, Benedicite, & Conuentus reſpondeat, Benedicite, quo dicto Hebdomadarius, benedicens proferat: Largitor omnium bonorum, benedicat Collationem ſeruorum ſuorum: cui Conuentus reſpondeat, Amen: & illico edere incipiant. Finita verò Collatione, & dato primo ſigno à Prælato, Refectorarius è ſuo

è ſuo loco ſurgat, & à menſis extrahat, quidquid extrahendum fuerit, dato autem ſecundo ſigno, Lector finiat Lectionem pronuncians: Omnia prætereunt præter amare Deũ, tu autem Domine miſerere nobis: & Conuentus dicat, Deo gratias: ſtatim ſurgat à menſis, exiensque ſuo ordine ſtet, ex vtraque parte: & Prælatus more ſolito incipiat, Adiutorium noſtrum in nomine Domini: Sit nomen Domini benedictum: Benedicamus Domino: Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace: quibus ſimiliter Conuentus reſpondeat. Et confeſtim omnes genua flectant, dicentes ſecreto Pater noſter, & Aue Maria, & facto ſigno à Prælato, ſurgant, & exeant cum ſilentio, & religione.

§. 5. Numerus Seruientium, & Lectorum conſtituatur, iuxta Tabulã Officiorum, quam in Sabbato cuiuſcũq; hebdomadæ in Refectorio ad finem pran-

Prandij Lector clara voce legat, Refectorarius ad principium menſæ ſeruiat (vt in more poſitum eſt) & tam ipſe, quàm reliqui ſeruitores, capitibus diſcoopertis inſeruiant. Refectorarius in medio ipſorũ, ambabus manibus portionem ad Prælatum deferat, quam iuxta eum inclinato capite apponat, reliqui verò ſeruitores per omnes mẽſas portiones ordinatim diſtribuant, & maximè inuigilent, ne aliquid alicui deſit: & eodem modo, quo ferunt portiones, eas dent, neque manus tranſmutent: & quando aliquis Fratrer portionem ſibi oblatam, infirmitatis cauſa, edere non potuerit, Seruitor Prælatum admoneat, vt de cibis neceſſariis prouideatur: Fratres oblata, vel ſublata portione, ſeruitoribus capita inclinent, & Seruitores Prælatis, quotieſcunque prope eos acceſſerint.

Nullus cibum, aut potum ſumere §.6.

incipiat, priuſquàm Prælatus ſignũ faciat: Religioſi omnes, mundè & honeſtè, cum ſilentio, & oculorum ſubmiſsione comedãt,& bibant, accepto poculo vtraq; manu. Nullus petat aliquid,etiamſi ei defuerit,ſed qui apud eum ſederit, humiliter & ſubmiſſa voce dicat Seruitori, vt quod deeſt illi apponat.

§. 7. Cum aliquod munus alicui Religioſo fuerit miſſum, ſemper prius Prælato præſentetur, & nullus ſine eius ſpeciali facultate, ab vna mẽſa ad alteram aliquid mittat. Magiſter Nouitiorum inter eos ſedens comedat, ita vt ſuis oculis omnes perluſtret, & ſi fuerit Vicarius,in abſentia Miniſtri,ibidem præſideat.

§. 8. In diebus in quibus carnibus veſci prohibetur,ne intra Refectorium quiſpiam illis veſci audeat, inhibemus,etiam infirmitatis, vel vlla alia cauſa, ſed in Hoſpitio, aut Infirmaria, ex cauſa legitima, niſi tan

ta ſit ædificiorum penuria, quod aliter fieri nequeat, tunc enim in Refectorio, in menſa ſeparata, iiſdem veſci permittimus.

Quando panis, vel aliquid aliud §. 9.
è menſa ceciderit, vel vinum, aqua, aut aliquid aliud effuſum, ſeu fractum fuerit, ſi hoc ei contigerit, qui in menſa ſedet, ſtans percutiat pectus veniam petens, & continuo ſedeat: ſi verò menſis miniſtrauerit, genu flexu veniam petat, & protinus ſurgat.

Quicunque venerit poſt incep- §. 10.
tionem Pſalmi De profundis, genu flexo veniam petat, dicens, Benedicite, & reſpondente Prælato, Dominus, ſurgat. Si verò aduenerit poſtquàm Conuentus intra Refectorium ſederit, ad vnum latus alicuius menſæ inclinato corpore profundè ſemel dicat ſecretò Pater noſter & Aue Maria, & poſteà genu flectat ante Prælatum, dicens

clara voce, Benedicite, qui vbi primum dixerit Dominus, ſtatim ſurgat, & in ſuo loco ſedeat. Qui intra Monaſterium fuerint, & ad primam menſam non venerint, niſi legitima cauſa, vel prædicatione illius hebdomadæ fuerint impediti, & qui etiam extra Monaſterium, cũ facultate ierint, ſi ad ſecundam mẽſam non venerint, ſine Prælati licentia, eis non liceat edere.

§. 11. Finita refectione, vnusquiſque locum ſuæ menſæ mundet, & demiſſo vultu, veſtibus complicatis, manibusque ſub Scapulario incluſis ſedeat: dato verò primo ſigno à Prælato, omnes capita diſcooperiant, & ſtatim Refectorarius, & ſecundæ menſæ Lector ſurgant, & in ſingulis ciſtis, ſeu calathis, reliquias panis colligant: & vnus ex Seruitoribus reliquias vini auferat in vaſe ad id accommodato. Admonemus Seruitores, quòd panem ſemper ap

ponant

ponant, vel auferant cum mundo linteo. Quibus peractis omnes qui menſis inſeruiunt in extrema Refectorij parte genua flectant, & ſurgant: facto itaque ſecundo ſigno, Lector dicat, Omnis ſpiritus laudet Dominum, tu autem Domine miſerere nobis: & in hoc & reliquis, ordo ſuprà expoſitus ſeruetur: & protinus Refectorarius ad ſecundam menſam pulſet, in qua in abſentia Prælati, vel Vicarij, vnus religioſus Conuentualis, Antiquior à ſuſceptione habitus, præſideat, & ex omnibus ſacerdotibus, qui fuerint præſentes, in abſentia Hebdomadarij, Iunior gratias agat. Hoc etiã in omnibus communitatibus ſimiliter obſeruabitur.

Prohibemus, ne vir aliquis laicus §. 12.
in noſtro Refectorio comedat, niſi ſit ex nobili vel illuſtri familia genitus: ſi aliquando contigerit in Cœna, aut Collatione, vt ad Angelicam

ſalutationem pulſetur: his finitis, & Deo gratiis actis, poſteà omnes genibus flexis, ter Angelicam ſalutationem proferant.

§. 13. Refectorarius non ſit purus nouitius, niſi quando alius nõ fuerit, qui commodè in hoc munere inſeruire poſsit, qui Refectorium mundum, terſaſque menſas habeat, & omnia alia ſibi tradita diligenter cuſtodiat, idem in menſis loca Religioſorum diſponat, iuxta cuiuslibet antiquitatem à ſuſceptione habitus, & harum Conſtitutionum tenorem, accepto prius à Prælato ordine. Inquirat etiam à Prælato, quid debeat dare illis, qui in terra comedunt, quibus tantum apponat, quid Prælatus iuſſerit. Poſtquàm omnes portiones ante Prælatum poſuerit, in ſuo loco ad primam mẽſam ſedeat, vt ad ſecundam valeat adminiſtrare, niſi aliter Prælatus diſpoſuerit. Coquinæ Ianuam intra Refecto-

rium exiſtentem, debito tempore claudat, & aperiat, & Lauacrum aqua adimpleat, & omnia neceſſaria ad Fratrum refectionem exigat. Ad menſam ſtatutis horis pulſet, dummodo prius à Procuratore percontetur, ſi ſunt omnia parata ad pulſandum, ad Orationem etiam mentalem, & ad Silentium pulſet, Vere & Hyeme, conſuetis & ſtatutis horis. Si fortè aliquis Seruitor, aut Lector defuerit, commoneat Prælatum, vt de hoc prouideat, & omnia ſui officij in libro ſcripta retineat, ad reddendam rationem, quando fuerit opus.

## ¶ *Caput Decimum. De Infirmaria.*

ERGA infirmos caueat, ne ſit negligens Prælatus, ſic enim procurãdi ſunt infirmi, vt citius §. 1.

releuentur. In quolibet noſtri Ordinis Monaſterio (iuxta cuiuſque poſſe) ædificetur locus, qui nuncupari ſolet Infirmaria, cui aliquis Religioſus pius, ac charitate feruens deputetur, qui leniter, & alacriter infirmis medelam exhibeat, & iuxta medici præceptum, & Domus facultatem, eis neceſſaria adminiſtret. Ipſe ſit ſolicitus in his, quæ ad infirmos attinent: præcipuè, vt in ægritudinis initio Eccleſiæ Sacramenta illis protinus adminiſtrentur, & etiã vt eos verbis ſolatio plenis, ac Sanctorum exemplis ad laborem morbi patienter tolerandum ipſe adhortetur.

§. 2. In Infirmaria ſint lecti, in quibus iaceant infirmi, & inde nullatenus exeant, niſi de conſilio Medici, & Infirmarij licentia: ſimiliter vaſa, & omnia infirmorum curæ neceſſaria ibi reponantur: quæ omnia diligenter cuſtodiat, ita vt, quæ infirmorũ

vſui ſunt deputata, ſanis nō tribuat.
Quidquid à Pharmacopolio ipſe iuſ
ſerit afferri, non niſi cum facultate
à Prælato ſubſignata afferatur, vbi
infirmorum nomina deſcribantur.

In eadem Infirmaria ſit Oratoriū, §. 3.
ſiue Altare, vt rem Sacram infirmi
audire poſsint. Qui autem non gra-
ui morbo laborauerint, Choro in-
terſint: denique Infirmarius ſecum
habeat quaternionem, in quo om-
nia ſibi tradita deſcribat, vt de illis
petitam rationem optimè reddere
poſsit: ſi verò aliquando Socio indi
geat, libenter Prælatus eum illi con
cedat.

## ¶ *Caput Vndecimum. De Hoſpitio.*

QVIA ad opera chari- §. 1.
tatis ex regulari præ-
cepto tenemur, ordi-
namus, & mandamus

omnibus noſtræ Prouinciæ Miniſtris, vt in omnibus domibus ſuarum adminiſtrationum, hoſpitia ſeorſum habeant (ſecundum domus facultatem) & ad recipiendos Fratres, (euntes, & redeuntes) deputetur aliquis Religioſus, qui eos benignè & gratioſè excipiat, & charitatis ſolatium magna cum diligentia adminiſtret, atque humiliter eorum pedes lauet, exemplum à ſanctis Patribus ſumens, & omnia Hoſpitij bona mundè & ſedulò obſeruet, & in libro ſcripta habeat, vt quoties opus fuerit, de illis rationem reddat: & quando neceſſe fuerit, Prælatus ei ſocium aſsignet. In reliquis
Cap. 15. n. 23. ea, quæ noſtra Regula præcipit, obſeruentur.

¶ *Caput Duodecimum. De Dormitorio, & Lectis.*

Cum

CVM aſsiduum in Dormitorio ſilentiũ obſeruare teneamur, oſtiũ Dormitorij ſic claudi volumus, vt nulli ſæcularium (etiam alicuius Fratris cõſanguineo) aditus pateat, niſi ex rationabili cauſa, & licentia Miniſtri, prius obtenta. Neque ibidem aliquis Frater, quidpiam bibat, aut comedat, ſeu bibere, aut comedere permittatur. Silentij tempore nullus è Dormitorio diſcedat, niſi de Miniſtri, aut Præſidentis licentia, in eius abſentia, & tunc peracto negotio abſque mora in Dormitorium redeat. §. 1.

Nullus Frater in alterius Fratris cellam, vllo tempore intret, niſi de licentia Miniſtri, aut Præſidis, in eius abſentia. Cella tamen Prælati cuiuslibet domus, ſeu Vicarij eiuſdem, aut Magiſtrorum in §. 2.

Theologia, & Nouitiorum Magiſtri (quo ad eos, quorum curam gerit) excepta: poterunt tamen Fratres, extra Silentij tempus, ad viſitandos infirmos, ſeu ad expianda crimina in cellas intrare. Qui omnia & ſingula contenta in hoc 2. §. non cuſtodierit, prima vice, vnam de Prælati manu, accipiat diſciplinam, & ſemel in terra comedat: quod ſi creuerit culpa, creſcat & pœna, & vt hoc inuiolabiliter obſeruetur, Prælatorum conſcientias maximè oneramus.

§. 3. Nullus Frater extra Dormitoriū (niſi ob ſenectutem, vel infirmitatē, aut rationem officij) dormiat. In eodem verò lecto (ſiue in Dormitorio, ſiue extra) duos Fratres ſimul dormire nullo modo permittimus.

§. 4. Lectos omnino præparari volu-
Cap. 3. n. 10 mus, vt in Regula noſtra annotatur, ita quod Fratres iaceant in laneis, & linteaminibus lineis non vtantur,

niſi

niſi in Infirmaria & Hoſpitio, & Scapulariũ non exuant dormituri, ſed iudutum habeant, dum in lectis iacent, etiam tempore veris, neque extra lectos illum exuere præſummant: qui contra aliquid horum fecerit, grauiter puniatur.

## ¶ *Caput Decimumtertium. De Veſtitu, & honeſtate Habitus.*

VEſtimenta Fratrũ ſint lanea, & alba: lineis Tunicis ad carnẽ non vtantur (niſi infirmitatis cauſa) licentia ad tempus iuxta neceſsitatem, prius habita: ita tamen, vt foris non appareant, & ſint plani operis, & ex craſſo panno confectæ. Omnes Miniſtri & Fratres mediocri panno vtantur, neq; cupiant veſtibus placere Deo, ſed moribus. Veſtes nõ ſint curioſæ §.1.

ſed in factura vniformes: longitudo ſuperioris Tunicæ ſit vſque ad Talos: Cappa verò alba, & lanea, Cruce in anteriori parte pectoris adiecta, eiuſdem longitudinis: Scapularium ſimiliter, ſed latitudine cooperiat commiſſuram manicarum, & tunicæ. Epheſtris, ſeu quod idem eſt, Murça, ſit honeſta, & in ea modus conſuetus obſeruetur. Cappis verò bruni coloris, cruce pectori affixa, in itinere tantum vti permittimus. Zona nigri coloris ſit latitudinis duorum ferè digitorum, ſed longitudinis talis eſſe debet, quòd vna pars ſuper alteram veniat. Calceamenta ſint clauſa, nigri coloris, & alta, taliter ordinata, quòd
Reg.c.3.n. 12. genua non excedant, niſi ſint æquitantes. Calceamenta non ſint facturæ laicalis.

§.2. Prætereà in quolibet noſtri Ordinis Monaſterio, maturus Veſtiarius deputetur, qui in quadam Of-

ficina

ficina peculiari omnes veſtes cuſtodiat, & ſuppellectilem, atque calceamenta, pannosq́; tam lineos, quàm laneos: & de licentia Miniſtri omnibus Fratribus, tam de veſtitu, quàm de calceamentis prouideat: & diligenter ſtudeat, ne veſtes à tinea corrodantur: & in omnibus, quæ ad ſuum officium pertinent, cum charitate, & hilaritate diligentiam exhibeat: & quidquid ei traditum fuerit, quiduè de licentia Prælati diſpenſauerit, in libro deſcribat, vt poſteà de omnibus rationem reddat.

## ¶ Caput *Decimumquartum*. *De Tonſura Fratrum.*

FRatres clerici, coronas amplas gerant, paucorum capillorũ, quãtitate trium digitorũ, & ſuper aures, §. 1.

ita

ita vt eas diſcoopertas habeant, & ſic proportionabiliter in circuitu, plus minusvè, vt diſpoſitio partium capitis exigit.

§. 2. Fratres verò laicos, nullo modo coronas habere permittimus, ſed in ſuperficie capilli capitis tondeãtur. Prælatus, qui coronam Fratri laico conceſſerit, ab officio, eo ipſo abſoluatur: ſi verò Proniancialis fuerit, tranſacto ſui officij tempore, priuetur per annum voce tam actiua quã paſsiua, & nihilominus à tali laico corona ſtatim auferatur.

§. 3. Qui huius Officij curam agit, decimoquinto quoq; die ad raſuram Fratrum tonſorem iubeat accerſiri, & extra hoc tempus, quoties opus fuerit, habeatque præparata, & mũda lintea, vaſaque plena aqua frigida & calida, & Fratres ſuo ordine radantur, niſi aliquid obſtiterit, & in dicta Officina ſilentium obſeruetur: huic incũbit Feria quinta in Cœna

Domini

Domini, ad Fratrum & pauperũ pedes lauandos omnia neceſſaria diligēter ordinare & procurare, & omnia ſibi tradita, in quaternione deſcripta habere, ad reddendam rationem, quando neceſſe fuerit.

## Caput Decimumquintum. De Silentio, & Circatore.

CVM IN NOSTRA §. 1.
Apoſtolica Regu- Cap. 6.
la expreſsè habea- n 25.
tur, quòd Fratres in Choro, Refectorio, & Dormitorio, ſilentium obſeruẽt, ac extra prædicta loca, ſolum temporibus aptis, ſubmiſſa voce humiliter, & honeſtè eis loqui liceat, hoc idem Miniſtros & Fratres inuiolabiter cuſtodire præcipimus. In Choro, & Eccleſia (maximè dum diuina Officia celebran-

tur) minimè confabulentur, neque in Clauſtro fieri permittantur ludi, aut aliquæ inſolentiæ. In Dormitorio verò, niſi valdè ſubmiſſè, & cum licentia, nequaquam loquantur.

§. 2. In quolibet noſtri Ordinis Monaſterio, à die Reſurrectionis Dominicæ, vſque ad diem Exaltationis ſanctæ Crucis, pulſabitur poſt Prandium ad Silentium, quo ſigno audito, Fratres protinus in Dormitorium ire compellantur: durabitque Silẽtium, ab hora vndecima, vſque ad Nonam finitam. Noctu etiam pulſabitur ad Silentium, Vere, hora octaua, Hyeme verò, hora ſeptima, quod durabit vſque ad Pretioſa: In his verò temporibus, facto ſigno ad nocturnum Silẽtium, omnes Fratres (niſi legitimè fuerint impediti) quamprimum in Chorum conueniant, ad Orationẽ mentalem, vbi maxima cum quiete & deuotione meditentur, vſque ad

factum

factum ſonitum à Prælato ad exeundum, quo audito, ſine ſtrepitu, & cum ſilentio, ad cellas reuertantur. In ipſa autem oratione modus obſeruetur in Cæremoniali noſtri Ordinis diſpoſitus.

Quando alicui conceſſa fuerit facultas ad loquendum in Eccleſia, ſit temporibus aptis, & extra confitendi locum, in loco decenti, & in ſcabello humili & honeſto, loquens ſedeat: ſi verò talis fuerit ſub obedientia Magiſtri Nouitiorum, (vnà cum ipſo) etiam cum parentibus, & propinquis loquatur. Feria quinta in Cœna Domini, à fine Miſſæ, vſque ad finem Veſperarum feriæ ſextæ in Paraſceue (vt melius omnes comtemplationi ſanctiſsimæ paſsionis Chriſti ſe tradant) ſummum Silentium cuſtodiant. Vbicunque Conuentus fuerit congregatus, Silentium obſeruetur. §. 3.

Quandò verò in ſupradictis locis, & temporibus, eos ad loquendum neceſsitas compulerit, paucis verbis, & ſubmiſſa voce loquantur.

§. 4. Inſuper, in quocunque Ordinis Monaſterio, quidam Religioſus Ordinis Zelator aſsignetur, qui Circator ſit, cui ſedulò aduertere incumbit, ne ſtatutis temporibus ab aliquo ſilentium frangatur, & diu noctuque (Silentij tempore) diligenter Domum circumire, & an fores clauſæ ſint, aſpicere. Qui ſi quos Silentium frangentes inuenerit, eos proclamare teneatur. Siquis palam ſeſe de ſupradictis accuſauerit, poterit Prælatus (ſi ſibi viſum fuerit expedire) cum eo diſpenſare: Si autem à Circatore, vel ab alio fratre accuſetur, & conuincatur, grauiter puniatur.

## ¶ *Caput* Decimumſextum. *De Recipiendis Nouitiis.*

Nullus

NVLLVS in Fratrem §. 1.
clericum iſtius Ordinis recipiatur, niſi decimoquinto ætatis ſuæ anno expleto, niſi ob ingenij acumen, vel generis nobilitatẽ, aut Religionis vtilitatem, cũ aliquo, in hac ætate P. Prouincialis, & Definitores diſpenſare voluerint, & prius diligenter de genere, & legitimitate, moribus & ſciẽtia examinetur, & ei Ordinis auſteritates proponantur. Examinatio verò huiuſmodi fiat, à Miniſtro, & à Patribus à conſiliis, & de licentia P. Prouincialis Capitulo referãt, & cum eorum relatione, cognita eius ſufficientia, de conſenſu maioris partis Capituli admittatur. Nullus in Fratrem clericum recipiatur, niſi Grammaticã competenter ſciat, & requiſitus, an coniugatus, an ſeruus, an alterius ſit profeſſionis, an rationibus obligatus, & an occultam habeat infirmi-

tatem, aut contagio ſit infectus.

¶ 2. Nullus præterea Neophytus in Ordine noſtro recipiatur, (quem declaramus eſſe, nouiter conuerſum ad Fidem, vel deſcendentem, à patre, matre, aut auo, vel auia, ad Fidem conuerſis) neque vehemẽter ſuſpectus in Fide, neq; vllus, cuius per lineam rectam prædeceſſores, aut frater, ſoror vè, vel quilibet patruus, auunculus, vel amita, incarcerati, ob Hæreſis crimen, & puniti fuerint ab Hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, ita quòd abiurauerint de vehementi. Si aliquis ex ſupradictis ad habitum receptus fuerit, ad profeſsionem nõ admittatur, & foras protinus eijciatur: Si verò (quocunque modo) cõtigerit profiteri: profeſsio eius (ipſofacto) inualida ſit, & eam ex nunc irritam & nullam eſſe declaramus. Vbi primum aliquis Prælatus de hoc certior factus fuerit, ſub pœna abſolutionis ab officio illum, de

conſenſu Patrum à conſiliis, habitu priuare teneatur, eiuſque profeſsionem nullam eſſe declarare, atque eum ſtatim ab ordine expellere.

Hæc noſtra Conſtitutio ante habitus ſuſceptionem nouitio exponatur, & iterum ei legatur in Capitulo, quando coram Fratribus profeſsionem petierit, antequàm ad eam admittatur, Scriba Conuentus in libro Profeſsionum, huius publicationis mentionem faciat, & acceptationis prædicti Nouitij, in hunc modum. ¶ Notum ſit omnibus, quòd in Capitulo Monaſterij Sanctiſsimæ Trinitatis, N. in præſentia Religioſorum Capitularium: Frater N. filius N. & N. talis Oppidi, vel Ciuitatis, & Parochiæ N. profeſsionem poſtulauit: & antequàm ad illam admitteretur, per me Fratrem N. ipſius Conuentus Scribam, noſtra hæc Conſtitutio clara voce ei fuit pronunciata. §. 3.

Scilicet nullus prætereà Neophytus, in Ordine noſtro recipiatur, quem declaramus & cætera, vſque ad §. tertium huius Capituli. Qui poſtquàm eam totam ſuis auribus percepit, quæ ſequuntur, proprio ore protulit, & ſubſcripſit. Ego Frater N. prædictus, qui profeſsionem peto, dico, & volo, quòd ſi ego ſum Neophytus, videlicet, nouiter conuerſus ad Fidem, vel deſcendens à patre, matre, aut auo, vel auia, ad Fidem conuerſis, vel ſuſpectus vehementer in Fide, vel habeo per lineam rectam prædeceſſores, aut fratrem, ſororemuè, vel quemlibet patruum, auunculum, vel amitam, incarceratos ob Hæreſis crimen, & punitos ab Hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, ita quod abiurauerint de vehementi profeſsio mea, ex nunc, ipſofacto, nulla ſit, & quandocunq; hoc cognitum fuerit, quilibet huius Ordinis Prælatus confeſtim me poſ

ſit habitu priuare, & ab Ordine ſanctiſsimæ Trinitatis eijcere: in cuius rei fidem, ego Frater N. Conuētus Scriba, hunc terminum confeci, ab ipſo ſubſcriptum, & à reliquis Fratribus Capitularibus, qui præſentes fuerunt, in dicto loco, tali die, menſe, & anno. Reliqui autem, etiam ſi aliquo modo ſanguine ſint maculati, non recipiantur, niſi P. Prouinciali, & Definitoribus Prouinciæ, ob generis nobilitatem, vel maximum Religionis commodum viſum fuerit, vt ad habitum Religionis noſtræ admittantur.

Nullus alterius Ordinis Religioſus, in Ordine noſtro recipiatur, neque illegitimo thoro natus: niſi de P. Prouincialis, & Definitorum Prouinciæ ſpeciali licentia, quæ non concedatur, niſi ob notabilem noſtræ Religionis vtilitatem. Neque etiam viros monſtruoſos, vel mente captos, vel homicidas recipi permit- §. 4.

timus. Cum ex eorũ receptione dedecus noſtro Ordini ſubſequatur.

§. 5. Quod attinet ad ſuſcipienda ſuffragia, pro his qui ad noſtrum Ordinem ſunt admittendi, vt profiteãtur, vel habitum recipiant (vel vt ad quartum & octauum menſem admittantur) per ſcripta occulta eſſe volumus: in vno quoque autem ſcripto, hæ duæ literæ ſcriptæ reperiantur, A, & R. A, admitti, R, reprobari, ſignificans eum, pro quo ſuffragia ſuſcipiuntur: vel per calculos albos approbantes, & nigros reprobantes: haſque literas, vel calculos vrnæ incluſos, Miniſter, Vicarius & Magiſter Nouitiorum ſcrutentur, & in cuiuslibet abſentia, aduocet Prælatus ad hoc vnum Religioſum, ex antiquioribus à ſuſceptione habitus, & ſi admiſſus fuerit à maiori parte Capituli, Miniſter id Conuentui ſtatim exponat, ſi autem cõtra, charitatiuè eum expellat.

Quotieſcunque aliquis de ſæcu- §. 6.
lo, ſiue clericus, ſiue laicus, ad Mona
ſterium veniens, ſe Dei ſeruitio cō-
ſecrare voluerit, ille Frater, cui pri-
mò id dixerit, Miniſtro indicet: qui
eius qualitate, genere, moribus,
ſcientia, & perſeuerantia, per Patres
etiam conſilij, cognitis: ſi talem pro
ſpexerit, pro quo ſermo Fratribus
producendus videatur, in Capitulo
Fratribus quid ſuper eo videatur,
debet proponere, atque eorum
aſſenſum & voluntatem, ante ſuſ-
ceptionem (modò in Paragrapho
quinto præcedenti annotato) ex-
quirat: & ſi à maiori parte Capitu-
li admiſſus fuerit, ad Capitulum
aduocetur, & ſi probabilem in eo
inuenerit perſeuerantiam, Mini-
ſter dicat: Frater, age gratias
Deo, quòd reciperis ad tam ſan-
ctum habitum, & ad iſtam ſan-
ctam Congregationem, vt Deus
ſic tibi det omnia adimplere,
qua-

quatenus ad vitam æternam perue-
nire poſsis:& reſpōdeat ille, Amen.
Deinde Miniſter præcipiat ei, vt cō-
fiteatur,& communicet. Et poſt cō
munionē (vt mos fert & Statuta præ
cipiunt) ſi clericus eſt tonſo capite,
veniat ad Capitulum, ille verò, qui
non ad officium clericorum recipi-
tur, non debet raſa nec tōſa corona
venire.

§. 7. Congregatis ergo omnibus Fra-
tribus in Capitulo, & Miniſtro Su-
perpelliceo & Stolla induto, reci-
piendus coram eo genua flectat: tol
lens autem ſæcularem habitum ab
eo, qui recipiendus eſt, Miniſter di
cat, Exuat te Dominus veterem ho
minem, cum omnibus actibus ſuis,
Amen. Deinde dum Scapularium
nouitio induit, dicat: Induat te Do-
minus nouum hominem, qui ſecun
dum Deum creatus eſt, in iuſtitia, &
ſanctitate veritatis: In nomine Pa-
tris, ✠, & Filij, ✠ & Spiritus ſancti ✠.
Amen.

Amen. Et cætera ad hoc pertinẽtia dicantur, prout ſunt in Cæremoniali noſtri Ordinis. Quando hæc fiunt ſit Nouitius ante Prælatum, vtroque genu flexo, quibus finitis, eius manum oſculetur, & ſurgat: qui eum Magiſtro Nouitiorum tradat.

§. 8. Cõc. Tri. Seſ. 25. de Reg. c. 16.

Exceptis expenſis & veſtitu ante profeſsionem (quocunque prætextu, ſiue à parẽtibus, ſiue propinquis, vel tutoribus Nouitij) Monaſterium de Nouitij bonis nihil ſuſcipiat, ne hac occaſione diſcedere nequeat, ſi velit: vel ſi diſceſſerit, nonniſi difficulter recuperare poſsit.

§. 9.

Nullus in Fratrem laicum recipiatur, quin ad minus vigeſimũ ætatis annum attigerit, nec trigeſimum excedat: & ante receptionem habitus, prius per integrum annum in veſtitu bruni coloris, humili, & honeſto, Monaſterio deſeruiat, & ſi hoc anno finito, à maiori parte Conuentus fuerit receptus (modo ſupra expoſito

poſito in Paragrapho quinto) ad nouitij habitum admittatur, in quo rurſus per alium integrum annum, ante profeſsionē Deo deſeruiat, & nōniſi iuxta formam in hac Conſtitutione traditam profiteatur. Pater verò Prouincialis cum Definitoribus, poterit diſpenſare cum aliquo, ex nobili, vel illuſtri familia genito, vel cum eo, ex quo ordini magna poſsit prouenire vtilitas, vt ſtatim ad habitum nouitij recipiatur, & in maiori, vel minori ætate: nec aliquis Frater laicus fiat clericus, aut ſacros Ordines recipiat: quòd ſi violauerit perpetuò ab eorum exercitio, & ab actiua, & paſsiua voce, ſit ipſofacto priuatus. Prælatus, ſiue Religioſus cuiuſcunque gradus, ordinis, & dignitatis, qui ad hoc facultatē, fauorē, vel conſiliū dederit, tribus cōtinuis annis actiua & paſsiua voce careat.

§. 10. Semper ante ſuſceptionem ſuffragiorum illius, qui in Capitulo admitten

tendus proponitur, quilibet Capitu laris, quidquid ei circa hoc viſum fuerit, verbaliter poterit exponere: & ſpecialiter Prælatus à Magiſtro Nouitiorum coram omnibus petat, vt de hoc ſuum ferat iudicium. Om nis Prælatus, & quicunq; alius Reli gioſus cuiuslibet gradus, ordinis, & dignitatis, qui alterũ Religioſum, per ſe, vel p̃ interpoſitã perſonã, ad receptionẽ, aut expulſionẽ alicuius Nouitij, verbis, vel donis induxerit, aut quocũq; alio modo corruperit, ipſofacto pœnis grauioris culpæ ſub iaceat: & iiſdẽ pœnis puniatur Reli gioſus, cuiuſq; cõditionis, qui in Ca pitulo fraudulẽter, vel cõtra rei veri tatẽ ad Nouitij receptionẽ, aut ex-pulſionẽ ſuã protulerit ſententiam.

Cuicunq; qui habitum noſtri Or dinis voluerit recipere, hæc noſtra Conſtitutio legatur, & rurſus ante-quàm ad profeſsionem admittatur: & ſi poſtea inuentus fuerit habere, §. 11.

quod-

quoduis impedimentum in hac no
ſtra Conſtitutione contentum, il-
ludq́ue cellaſſe, & non aperuiſſe,
quando talis Conſtitutio ei fuit ex
poſita: ſi hoc cognitum fuerit ante
profeſsionem, protinus foras eij-
ciatur, ſi verò poſt profeſsionem
innotuerit, (& impedimentum non
fuerit ex illis, quæ iuxta noſtra De-
creta profeſsionem reddunt inua-
lidam) P. Prouincialis, Definitores
q́ue, vbi primum pro certo, & com
perto habuerint, declarent, & iudi-
cent, eum deinceps in Ordine acti-
ua & paſsiua voce, & omni hono-
ris officio per hanc noſtram Conſti
tutionem indiſpenſabiliter eſſe pri-
uatum: & vbi primum Miniſter, &
Conſiliarij hoc certò ſciuerint, ean
dem ſententiam & declarationem
contra ipſum proferant.

*Caput Decimũſeptimũ. De Magiſtro Nouitiorũ, & eorũ Inſtructione.*

Quo-

QVoniam plurimũ con §. 1.
ducit, vt facilius, ac ma
turius (vbi collapſa
eſt) vetus, & regularis
diſciplina, inſtaure-
tur, & conſtantius (vbi
conſeruata eſt) perſeueret, qualiter
& quomodo inſtituendi ſũt Nouitij,
(nam hæc ſunt Religionum ſemina)
cognoſcere: diſtrictè præcipimus, &
prohibemus, ne Nouitij recipiantur,
niſi in Domibus, & Conuentibus, in
quibus ſunt plurimi Fratres, & vbi
ſit domus peculiaris pro Nouitiis, à
Conuentu diſtincta, intra quam con
tineantur.

P. Prouincialis, & Miniſter Do- §. 2.
mus, de Magiſtro Nouitiorum pro-
uideant, qui in Religione ſit diu edu
catus, & in Cæremoniis Ordinis pro
bè & ſcienter expertus: cuius vitæ
integritas nota ſit, & Nouitiis ce-
dat in exemplum: & qui Matutinis
& cæteris Cõmunitatibus, ſemper

aſsiſtere poſsit. Quique eoſdem in officio, moribus, ſcientia, cantu, Regula, Couſtitutionibus, & Cæremoniis Religionis ſtudeat enutrire. Frequenter, purè, & diſcretè eos confiteri doceat: curet etiam diligenter ſcire, vtrum iuxtà noſtra præcepta confiteantur, & an miſsis aſsiduè interſint: & humilitatem cordis, & corporis eos habere admoneat (iuxta illud Saluatoris, Diſcite
Matt.11. à me, quia mitis ſum, & humilis corde) ſine proprio viuere, obedientiam volũtariã in omnibus ſeruare, & caſtitatem inuiolabiliter cuſtodire: Decalogum, & omnem doctrinam Chriſtianam integrè ſcire, Regulamq́ue memoriæ mandare, & quomodo ſe habere debeant, in omnibus inſtruere.

§. 3. Nouitij Capitulo Maiori interſint, & vbi primum ſuas culpas humiliter pronunciauerint, accepta pœnitencia, rurſus cum ſilentio in

Domum

Domum Nouitiorum reuertantur. Magiſter verò in dicta Domo eorũ culpas audiat, omnibus diebus, quibus ei viſum fuerit, & eos leniter, ac charitatiuè corripiat, & pœnitentias anni probationis eos adimplere faciat: videlicèt, quòd puri Nouitij in terra comedant, ſemel in vnaquaque hæbdomada, & tunc finita Refectione ante Refectorij oſtium, vſque ad egreſſum totius Cõuentus proſtrati iaceant, & ſemel in ipſa hebdomada ſine culpa à Magiſtro virgis in dorſo verberentur. Modus autem obſeruandus in Magiſtri Capitulo, in noſtro Cæremoniali comperietur.

Magiſter eis ſignanter præcipiat, vt diligenter libros, & veſtes, & res alias Monaſterij cuſtodiant, locis & temporibus ſupra ſcriptis Silentium obſeruẽt, & vbiq; ſubmiſſa voce loquantur, oculosq; ad terrã demiſſos habeãt: & ſi à Prælato fuerint §. 4.

reprehenſi, quomodo veniã petant, genibus flexis, Magiſter moneat. Deniq; eos doceat, quomodo & quid orent, & quam ſilenter, ne alios impediant, & quod puri Nouitij per integrum probationis annum, vbique ſilentium cuſtodire teneantur, niſi ex rationabili cauſa cum aliquo diſpenſetur.

§. 5. Nouitij puri & profeſsi, etiam Ordinibus Diaconatus, & Subdiaconatus initiati, omnino (ſub cura Magiſtri) in domo Nouitiorũ maneant, & habitent, vſque ad Præsbyteratũ. Laici vero Fratres, etiam per decennium ſint ſub cura Magiſtri, quos doceat, quæ illius ſunt muneris, & cogat, vt Choro interſint, & alia, quæ iuxta noſtra Statuta neceſſaria fuerint.

§. 6. Puri Nouitij, extra Conuentum non mittantur, neque his officiis occupentur, quibus diſtractionis præbeatur occaſio. Recedentes tamen

ſine licentia (cum habitu) à Conuentu, pro refutatis ab Ordine habemus. Cohortamur autẽ vniuerſos Fratres, vt puris Nouitiis ad ſæculũ redire volentibus, tribuãt liberè, & abſque vlla moleſtia recedendi facultatem, cum omnibus, quæ ſecum de ſæculo attulerũt, exemplo Chriſti Domini, qui diſcipulis aliquibus recedentibus, aliis remanentibus, dixit: Et vos vultis abire? Ioan. 6.

Prouidentes, qua debemus, cura §. 7. Nouitiorum educationem, ordinamus, quòd Miniſter cuiuſcunq; Cõuentus, eorum approbationem, & profectũ Fratribus proponat in Capitulo, quarto quoque menſe anni probationis, (vt ſuprà diximus) quo examine facto, ſi purus Nouitius in Religione, & morum probitate viſus fuerit proficere, retineri poterit ſin minus ſtatim expellatur, ne ſuis deprauatis moribus alios inficiat, & ne Monaſteriorum bona fruſta diſ-

ſipentur. Nouitius verò à Conuentu ſemel reprobatus, nunquam amplius in Capitulo proponatur: neq; à Religione expulſus, in eodem Monaſterio, aut in alio noſtri Ordinis, ad habitum iterum admittatur.

§. 8. Volumus autem ad omnem iniuſtitiæ rationem tollendam, vt nunquam purus Nouitius inuitus expellatur, pro illiteratura, vel impotēcia aliqua, vel quibuſcunq; defectibus, qui ab initio noti fuerunt fratribus: quare purus Nouitius ſemel receptus non poterit expelli à Miniſtro infra probationis annū, niſi prius declaratis iuſtis, aut legitimis cauſis, Patribus à cōſiliis, ob quas nō decet eū in Ordine permitti: quas etiā cauſas, Miniſter in Capitulo explicare tenebitur, corā fratribus ſuffragia ferētibus, ſi publicatiōe dignæ fuerint.

## *Caput Decimum octauum. De Profitendis, & Profeſsione.*

Pro-

PRofeſsionem, ante §. 1.
decimumſextum æta
tis annum elapſum,
fieri omnino prohibe
mus, neque qui in mi
nori tẽpore, quàm per annum poſt
ſuſceptionem habitus, in probatio-
ne ſteterit, ad Profeſsionem admit-
tatur. Irritam namq; ſancta Triden Seſ.25.c.15. de Regul.
tina Synodus, profeſionẽ anteà fa-
ctã decernit. Quare ſi ante decimũ
quintũ annũ quis Religionis habitũ
ſuſceperit, annus probatiõis minimè
elabatur, niſi decimoſexto expleto.

Nullus ad Profeſsionẽ (ſi Frater §. 2.
clericus ſit) recipiatur, niſi ſciat ple-
nè & expeditè dicere, & legere diui
nũ officium, Nocturnum pariter, &
Diurnũ ſolus: & ſciat Grãmaticam
cõpetenter, & Regulæ, ac Conſtitu
tionũ (quas obſeruare debet) ratio-
nẽ reddat: & infra duos menſes ante
finẽ probationis, Examinatores ſu-
prà aſsignati, in primo §. capitis 16.

teneantur eum examinare, & eius ſufficientiam Capitulo referre, & ſi multum in his deficiens videatur, ſi eis viſum fuerit, aſsignetur ei certum tempus probationis longiùs, vt diſcat a quæ dicta ſunt: & ideò, an prolixior probatio, an expulſio ſit habenda, Miniſter cum Patribus à conſiliis videat, & quod ſatiùs viſum fuerit, exequatur. Tamen ſi ad profeſsionem admittendus ſit, fiat modò iam dicto in §. quinto, cap. 16. & tunc ante profeſsionem, cõfiteatur de peccatis ſuis, & profeſsionis die, priuſquàm ſe votis obliget, à celebrante Miſſam maiorem, Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum accipiat.

§. 3. Poſtquàm de moribus Nouitij, & aliis fuerit conſultum, & omnibus, vel maiori parti Capituli, ſeu Vocalium viſum fuerit, quòd ad profitendum admittatur, ad capitulum vocetur, & ante Miniſtri pedes procidat,

dat, veniam petens de negligentiis, in anno ſuæ probationis commiſsis: tunc Miniſter interroget eum, dicẽs: Quæ eſt petitio tua Frater? Reſpondebit genibus flexis: Dei miſericordiam, & veſtram ſanctam ſocietatem, humiliter poſtulo. Cui Miniſter dicat: Dominus tibi concedat ſuam piiſsimam miſericordiam, & Electorum ſuorum ſocietatem: Et Conuentus reſpondeat: Amen. Et Exurgens Nouitius in loco, vbi veniam petierat, ſtabit Coram Miniſtro, qui dicet illi: quòd profeſsio ſua eundem obligabit ad tria Vota, Paupertatis ſcilicet, Caſtitatis, & Obedientiæ, ſecundum Regulam, & Conſtitutiones Fratrum Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis, & Redemptionis Captiuorũ: adiungat etiam cætera quæ ſunt in Cæremoniali noſtri Ordinis, tam ad hoc, quàm ad profitendi modum.

In quolibet Conuentu ſit pecu- §. 4.

 liaris

liaris liber, in quo ſcribantur profeſſiones, & qui eas faciunt, notato anno, menſe, & die, & Prælati recipientis ad profeſsionem nomine, & ſub quo Patre Prouinciali.

## *Caput Decimum nonum. De Seſsione Fratrum.*

§. 1. CVM æquitas rationis expoſcat, vnumquemque prout certauerit, coronari, ideò præſenti Statuto, mandamus, Seſſiones & Fratrum Antiquitates, tam in Capitulis, quàm in Congregationibus, à die ſuſceptiõis habitus enumerari: & licet quis Sacrorum Ordinum cauſa Antiquiorem ſe ſuperauerit, illum tamẽ Sacros Ordines ſuſcipientẽ, tum Seſsionẽ, tum etiã Antiquitatẽ priorem obtinere præcipi-

cipimus. Quòd ſic intelligimus dummodo in Prouincia ſteterint, & vixerint continuò: nam aliàs omne tempus, quo extra obedientiam Prouinciæ permanſerũt, ſeorſum dematur, & illius tẽporis ſolùm, quo in Prouinciæ obedientia perſeuerarũt, ratio habeatur: & quamuis in aliis habilitentur, & cũ eis ſit diſpenſatũ, circa hoc tamen, neq; habilitari, neq; diſpenſari deinceps poſſe decernimus. Et quidquid cõtra hoc Statutũ, attentatũ, ſiue pro tẽpore actum fuerit, totum ſit irritum & inane. In Sacra Theologia Magiſtri, & de licẽtia Ordinis admiſsi, à tẽpore admiſsionis gradus infra Vicariũ Domus, vbi præſentes fuerint, immediatè ſuper oẽs alios Fres Seſsionẽ & Antiquitatẽ obtineãt, tã in prima mẽſa Refectorij, quã in aliis Cõgregationibus.

¶ *Caput Vigeſimum. De Fugitiuis, Translatis, & Apoſtatis.*

Sa-

§. 1.
Seſ. 25. cap. 4. de Regul.

SACROSANCTI Concilij Tridẽtini decreto inhærentes, ordinamus & præcipimus, ne aliquis noſtri Ordinis Religioſus etiam prætextu ad ſuperiorem accedendi, à ſuo Conuentu diſcedat, niſi ab eodẽ miſſus, aut vocatus fuerit, mãdato in ſcriptis obtẽto. Quòd ſi aliquis in Ordinis habitu fugitiuus reperiatur, proſtratus virgis ad arbitrium Miniſtri emendetur, ac per quindecim dies (ad minus) carcerali cuſtodiæ mancipetur, & pœna grauioris culpæ puniatur, & per integrum annum actiua & paſsiua voce careat: & ſi Sacerdos fuerit, vltimus Sacerdotum; ſi verò profeſſus, vltimus profeſſorum ſit, dum pœnas poſitiuas Ordinis adimplet. Quòd ſi bis fugitiuus extiterit, omnia prædicta duplicẽtur. Si tamen ad aliã Ordinis Prouinciam fugerit, nõ admit

tatur

tatur, ſine licentia Patris Prouincialis. Quòd ſi admitti contigerit, vltra prædictas pœnas, etiam duobus annnis voce actiua & paſsiua careat.

Miniſtri, ad quorum domos diuerterint fratres fugitiui, vel poſtmodùm aſsignati fuerint, ſub pœna ſuſpenſionis ab officiis prædictas pœnas executioni mandent: ſi verò ſecundò in hoc negligẽtes fuerint, ab officiis abſoluantur. Fratres huiuſmodi fugitiui in habitu Ordinis, poſtquàm in Conuentu, in quem diuerterunt, pœnam carceris, & grauioris culpæ adimpleuerint, Patrem Prouincialem certiorem faciant literis teſtimonialibus pœnitentiæ adimpletæ: vt eos reliquis pœnis puniat, & de Conuentibus ad habitandum prouideat. Declaramus tamen, hos fratres fugitiuos (habitu Ordinis retecto) nullam propter hoc excõmunicationem incurriſſe: ſed §. 2.

vo-

ſed volumus, quòd vltra prædictas pœnas qui de ſua Prouincia in aliã fugerit, totum temporis ſpatium, quo extra eam commoratus fuerit, non cõputetur ei ad locum, ſeſsionem, & antiquitatem.

§. 3. Frater autem profeſſus, qui ad alium ſe tranſtulerit Ordinem, ſi poſtea reuerſus fuerit, non recipiatur, ſine licentia P. Prouincialis: & receptus, vt purus nouitius per annũ habeatur, & voce actiua & paſsiua careat, niſi ꝑ Capitulũ Prouinciale cũ eo diſpẽſetur, Quæ quidem diſpenſatio & habilitatio cum verè tranſlato, ante triennium expletum, minimè fiat: ita tamẽ, quod anni, quos extra Ordinis obedientiam tranſegit, quo ad locum ei, non computentur, ſed illis omnibus ſit inferior, qui per plures annos, in Ordine, & habitu ipſius permanſerunt. Neque ante decem annos ad vllam Ordinis dignitatem promoueri poſsit.

Qui

Qui autem, inſtigante Diabolo, §.4.
quod abſit, veſtes Ordinis demiſerit, talis Apoſtata, ſit ipſo facto, excommunicatus, qualem ſententiam ex nunc præſenti Statuto, ferimus, & talis per Miniſtrum, in cuius adminiſtrationem diuerterit, abſque mora capiatur, & abſoluatur, & in Capitulo culpā ſuam dicat proſtratus, & humiliter veniam petat, ibidemque virgis puniatur: & quandiu Prælato, & Conſiliariis viſum fuerit, pœnæ grauioris culpæ incarceratus ſubiaceat: & ſingulis hebdomadibus ſemel in Capitulo virgis emendetur. Intra hoc pœnitentiæ tempus, in Conuentu nouiſsimus erit, & vbique, duobuſque diebus cuiuſcunque hebdomadæ per annum in pane, & aqua ieiunet: qua peracta pœnitentia ad Priorem locum non dum redeat, niſi per Maiorem Miniſtrum Ordinis, vel per Definitores Capituli generalis, ſeu Pro

uincialis cum eo fuerit diſpenſatũ quæ diſpenſatio ante triennium nõ fiat; ita tamen, quòd anni, quos in Apoſtaſia traduxit, ei non computentur, quoad locum, & antiquitatem, atque vltra hæc octo annis voce paſsiua careat, ita quòd neq; Miniſter, neq; Vicarius fieri poſsit.

## ¶ *Caput Vigeſimum primum. De Cõſpiratoribus, Diffamatoribus, & de certis Detractionibus vitãdis.*

§. 1. QVAM ſit damnabile conſpiratores, ac coniuratores in Conuentibus permitti, & experiẽtia docet, & Sacri Canones oſtendunt. Ideoque ſtatuimus, quòd ſi huiuſmodi cõſpiratores, & cõiuratores in noſtro Ordine inueniantur, antequàm res finem ſortiatur, quem intendunt de

cætero voce Capituli careant, neq; ad teſtimonium perhibendum admittantur. Si verò res intentum, effectumque conſequatur, carceribus arctiùs includantur, & prout in Capitulo grauioris culpæ latiùs cōtra conſpiratores diſponitur, puniantur. Conſpiratores, & coniuratores eos appellamus, qui ſe ſe confœderant, ad Ordinis ſubuerſionem, aut Statutorum ſalubriter editorum, vel ad ſui Prælati perſecutionem, vel alicuius fratris, ex odio, vel ambitione: ſeu fratres iuſtè puniendos à Prælato defendere moliuntur.

Omnis, qui ſecretum Ordinis, aut Capituli detexerit, ex quo notabile damnum, ſeu ſcandalum, vel infamia, dedecus vè Ordini, aut alicui religioſo euenerit, pœnis grauioris culpæ ſubiaceat. §. 2.

Item quicunque in noſtro Ordine reperti fuerint, ſingularem vitam §. 3.

quocunque modo vitioſam ducentes, & contra cõmunem modum viuendi, diu ab Ordine approbatum: primò illi moneantur, & ſi admoniti, correcti non fuerint, ſeparentur, & diuerſis Conuentibus aſsignentur, & ſi in eadem vita perſiſtant, per Miniſtrum Prouincialem, vel Prouinciale Capitulum carcerali cuſtodiæ mancipentur.

§. 4. Item quicunque crimen commiſerit, pro quo in ſæculo pœna mortis debebat plecti, in carcerem conijciatur, pœnis alijs macerandus ibidem, plus minusvê ſecundùm delicti, & pœnæ qualitatem, & circunſtantias alias, alleuantes, vel etiam aggrauantes, & niſi per Prouinciale Capitulum non poſsit ab ipſo carcere liberari: quòd ſi ſecundò reinciderit perpetuo carceri mancipetur.

## ¶ *Caput Vigeſimũ ſecundum. De Literis non recipiendis, & Furibus.*

STATVIMVS, Et ordinamus, quòd nullus frater noſtræ Prouinciæ auſus ſit ſine Prælati ſui licẽtia mittere, ſeu recipere, aut legere occultas aliquas literas, neq; aliquod donũ. Si quis autem literas receperit, vel miſerit occultè, & nõ manifeſtauerit Prælato, grauiter, & ſeuerè puniatur. §. 1.

Statuimus Præterea, & diſtrictè §. 2.
mandamus, quòd ſi aliquis noſtri Ordinis frater, furtum commiſerit, & conuictus, vel confeſſus fuerit, in carcerem (iuxta delicti qualitatẽ) in pane, & aqua includatur: inſuper per triẽnium voce Capituli careat & locum nouitiorum habeat: ſiverò

Miniſter furtum fecerit, adminiſtratione priuetur, & infamis maneat, ac per duo Prouincialia Capitula inhabilis reddatur, ad quodcunque officium electionis obtinendum, & pœnæ grauioris culpæ (ſiue ſubditus, ſiue Prælatus ſit) ſubiaceat, quouſque per Reuerendiſsimum Maiorem Ordinis Miniſtrum, vel Capitulum Generale, vel Prouinciale cum eo fuerit, diſpenſatum.

# LIBER SECVNDVS.

## ¶ Caput primum. De ædificandis domibus.

CVM Exigat rationis æquitas, quæ cõmunitatis ſunt, matura delibera-tione procurari, exequi, & miniſtrari, ideo diſtrictè prohibemus Patri Prouinciali, & Definitoribus, Capitulorum prouincialium, ne vllo pacto locum aliquem pro noua domo ædificanda, vel transferenda recipiant, niſi de licentia Epiſcopi in cuius diœceſi erigenda, vel accipienda eſt, & niſi eis prius conſtiterit locum idoneum eſſe conuentui ædificando, per fratres idoneos, ad inquiren

§.1. Cõc.Tri.ſeſſi.25.c.3. de regularib9

 dum

dũ deſtinatos: ſi ſecus verò actũ fuerit, talis receptio ſit irrita & inanis.

§. 2. Mediocres domos, & humiles fratres noſtri ordinis habeant, neque fiant, aut fieri permittantur curioſitates in ſculpturis, pauimentis, & alijs ſimilibus paupertatẽ noſtram deformantibus, ſed potius ſint plani operis, vt in Regula præcipitur:

Cap. 3. n. 6. quas iuxta maturum conſilium periforum in arte, fieri volumus, (conſiderato loco illo) & in ligno vel alia materia eiuſdem domus conſtruendæ, inſpecta prius formula, quã non liceat tranſgredi, pro varia voluntate præſidentium, ſed cõformiter ad illam, domus ipſa ædificetur: teneaturq; Miniſter ſubſequẽs opus inceptum proſequi. Neque vllam conſtructionem, aut ædificationem nouã, cuius ſumptus quinquaginta ducatos aureos excedat, niſi de aſſenſu Patrũ à conſilijs & licentia Patris Prouincialis in ſcripto obtẽta incipere

pere poſſe mãdamus: oppoſitum facere præſumens in pœnã ab officio abſoluatur, ſic quod neque ibi, neq; alibi per trienniũ præſit. Si verò Miniſter propria induſtria, aliquid acquiſiuerit, non prouenicns ex redditibus domus, illud in rebus ad eandem domum vtilibus liberè expendere poterit.

Volumus, vt nulla domus, oratorium, vel Eccleſia noſtræ prouinciæ de nouo incorporetur, niſi per Capitulũ Prouinciale, dũmodo nõ ſit periculum in mora, & poſſeſsio ipſa ſit maximè vtilis, tunc enim Pater Prouincialis, & Definitores Prouinciæ illam accipere poterunt. §.3.

## ¶ *Caput ſecũdũ. De patribus à cõſilijs.*

STatuimus, quod in vnaquaq; domo præter Miniſtrũ ſint quatuor patres à cõſilijs, §.1.

quos Miniſter, & etiam Pater Prouincialis in grauibus conſulere tenebitur, ſed & ad pœnam grauioris culpæ alicui infligẽdam, ſine eorum conſilio procedere non poſſe decernimus. Quod ſi aliter fiat pœnitentia nulla ſit, neque ad eam patien- teneatur, neque in præmiſsis aliud conſiliarijs cõcedimus, niſi quod ſecũdũ Deũ, & cõſcientiæ dictamen, iuxta ſeriem iſtarum conſtitutionũ, & regulam directè conſulant: quod ſi Miniſter ſalubre eorum conſilium non receperit per Patrem Prouincialem, & Viſitatores, iuxta qualitatem delicti emendetur.

§.2. Patres à conſilijs declaramus eſſe, præter Miniſtrum conuentus, Vicarium eius, & Magiſtrum nouitiorum, & ex religioſis eiuſdem domus duos antiquiores à ſuſceptione habitus: nonnullos alios etiam diſcretos antiquiores Miniſter ad conſilium vocare põterit, dummodo numerus

merus omnium conſulendorum ſe-
narium non excedat.

Si contigerit, quod Miniſter, & eius Vicarius eodem tempore, extra monaſterium exierint (quod rarò, & per paucos dies fiat) plenam potius domus curam gerat vnus religioſus ex grauioribus, & antiquioribus, cui Prælatus de aſſenſu Patris Prouincialis, ſi præſens fuerit, & in eius abſentia de conſenſu Patrum à conſilijs (tantum per octo dierũ ſpatium) tale munus commiſerit. Si autem etiam acciderit, quod in abſentia Miniſtri Vicarius tali morbo laboret, vt domũ gubernare nequeat, idem de aſſenſu Patris Prouincialis, ſi præſens fuerit, & in eius abſentia, de conſenſu Patrũ à conſilijs, vni religioſo, ex grauioribus, & antiquioribus, gubernandæ domus poteſtatem tradat. Si autem hoc tempore, abſente etiam Miniſtro, ob aliquam valde vrgentem, & neceſſariam cau- §. 3.

ſam Vicarius, per aliquot dies foras exierit (in abſentia Patris Prouincialis) de aſſenſu Patrum à conſilijs, eadem durante cauſa, in dicto conuentũ Præſidem poterit nominare & cõſtituere. Et in abſentia horum prædictorum præſit in monaſterio antiquior eius habitator: in congregationibus verò, antiquior domus habitator à ſuſceptione habitus, qui præſens fuerit.

## ¶ *Caput tertium.* De *officio Sacriſtæ.*

§. 1. IN Qualibet noſtri ordinis domo ſit Sacriſta maturus & boni exempli, cuius officij eſt, omnia, quæ in theſauro ſunt, cuſtodire, & Reliquias ſanctorum in loco decenti, cum magna veneratione ſeruare: ornamenta & mappæ altaris vt in mũdiſsimo loco ſint, curam maximã adhibere.

Omnia autem, quæ ſub eius cuſtodia ſeruantur, Miniſter bene notata habeat in libro proprio, & Sacriſta ſimiliter, vt cum opus fuerit, illorum omnium rationem reddat. In Sacriſtia ſilentium obſeruetur, & Sacriſta tam de his qui illud fregerint, quàm de his, qui iuxta modum ab eo præſcriptum Miſſarū obligationes non adimpleuerint, Prælatum certiorem faciat.

2 Idem in quaternione omnia Presbyterorum nomina deſcripta teneat, iuxta quæ, & cuiuſcunque Sacelli obligationes Miſſas quotidie dicendas in Tabella ordinabit, diligenterque inquiret, an ſint dictæ à patribus, quibus eas commendauit: quævè cauſæ extiterint, ob quas eas dicere aliqui prætermiſerunt. Nomen etiam Religioſi defuncti, & diem obitus notabit, eritque maxime ſolicitus, vt quæ noſtra ſtatuta circa defunctorum fratrum §. 2.

ſuffragia decernunt, quam primum adimpleantur: ita tamen, vt domus obligationes nō omittantur, neque vllus prætermittatur dies, in quo miſſa pro religioſo defuncto non celebretur, donec omnia, quæ noſtræ conſtitutiones fieri iubent, cōpleantur: ſi tamen Sacriſta obligationem religioſi defuncti in hunc modum non adimpleuerit, ter in terra comedat.

§.3. Superpelliceo, & ſtola indutus Sacriſta, accenſiſque cereis ſanctorum reliquias ad Eccleſiam deferat, eaſque nullo pacto extra monaſterium, ipſe, vel aliquis alius deducat, ſine ſpeciali Prælati licentia, & aſſenſu Patrum à conſilijs, quæ facultas non niſi vrgente aliqua neceſſitate concedatur.

§.4. In Sacriſtia ſit archa duabus clauibus, clauſa, quas (cum alijs archularum Eccleſiæ) depoſitarij domus habeant, in quam Eleemoſynæ miſ-

ſarum,

ſarum, & officiorum iam dictorum, & quæcunque aliæ, vndecunque licitè venientes, conijciantur. Sacriſta, à Prælato, & depoſitarijs, ad omnes Sacriſtiæ, expẽſas nummos accipiat, & ſine eorum licentia, nihil expendat ſub pœna grauis culpæ.

Prælatus Sacriſtæ ſocium aſsignet, cui cura erit, in altaribus cereos accendere iuxta cæremoniale ordinis, tẽporibuſque aptis præparare, & abſtergere altaria, & cætera, quæ cultui diuino deſeruiunt, diligenter adminiſtrare: conſuetis ſtatutiſque horis cymbala pulſare: denique omnia, quæ Sacriſta ei præceperit, ſedulo efficiat: neque miniſter, neque aliquis alius aliquid magni momenti cultui diuino deſeruiens, extra monaſterium accommodent, ſine aſſenſu Patrum à conſilijs, ſub pœna grauis culpæ. Cuiuſlibet conuentus noſtri ordinis Sacriſta a Patre Prouinciali, miniſtro §. 5.

& Vicario vocaliter eligatur.

¶ *Caput quartum. De forium clauſura, & Oſtiario.*

§. 1. ISTIVS Ordinis religioſorũ talis debet eſſe clauſura, quod eorum conuerſatio, (ſancta & honeſta, atque boni exẽpli) à conſortio laicorũ, ac locutione ſegregata ſit: ideoq; cõmunis & patens ianua ſemper ſit clauſa, & nulli ſæculariũ aditus pateat, niſi de licentia Prælati, ſitq; ibi tintinabulũ, quod ab omnibus pulſari poſsit, ſit etiam ibi aliqua perſona honeſta, boni exẽpli, diligẽs, & prudẽs, quæ ſciat omnibus religioſè reſpõdere, & à Patre Prouinciali, Miniſtro, & Vicario vocaliter eligatur.

§. 2. Poſt ſolis occaſum ſtatim ianuæ claudantur, & Miniſtro claues earũ exhibeantur, & fores nulli omnino aperiantur, niſi maxima vrgente ne-

ceſsitate, Et ſimiliter fiat, dum poſt
prandiũ fit ſilentiĩ pulſatio, tũc enim
fores claudantur, & tradantur cla-
ues Miniſtro, donec ad Nonã pulſe-
tur, & nulli reſpondeatur, niſi maxi-
ma neceſsitas poſtulauerit. Eccleſiæ
fores, poſt Completoriũ à Sacriſta,
ſimul cum Oſtiario claudantur, clau
ſæ vero nullo modo aperiantur niſi
ab iiſdem, & donec ſequenti mane
dies illuceſcat: & ſimiliter dictæ fo-
res Eccleſiæ poſt miſſam cõuentua-
lem, ab iiſdem claudantur, & non re
ſerentur niſi ab iiſdem poſt primam
pulſationem ad Veſperas: & dictis
temporibus quibus hæ fores clauſæ
manẽt, etiã claues Prælato tradãtur.
Clauſtri verò ianuæ ſemper clauſæ
erũt, neq; aperientur niſi dũ feſtũ ſo
lẽne ab Eccleſia celebratur, aut fieri
debet proceſsio, aut cõmunis abſo-
lutio pro defũctis, vel quãdo in clau
ſtro aliquis ſepelitur, vel pro eo aut
quouis officiũ ſeu miſſa celebratur,
quibus

quibus finitis ſtatim claudantur.

§. 3. Mulieres in clauſtrum, & alias officinas noſtras nunquam ingrediantur, niſi in primum clauſtrum, prædictis temporibus. Miniſter, vel Vicarius, vel quiuis alius frater, qui hoc non obſeruauerit, à Patre Prouinciali grauiter puniatur.

Vide Motũ propriũ Pij Quinti & Greg. XIII

§. 4. Quia confabulationes inhoneſtas & irreligioſas cum ſæcularibus omnino vitari volumus, ſtatuimus, quod ſæculares viri habita licentia, in ianuam monaſterij ingrediantur, & in loca aliqua accommodata, ac omnibus patentia ad loquendum intrent: mulieres verò, ſi ſint honeſtæ, in Eccleſia (vt iam diximus) aut ad oſtium monaſterij in loco patenti, & religioſo loquantur: oſtiario maximè commendamus, vt eleemoſynas pauperibus charitatiuè diſtribuat, vrnaſque aqua plenas habeat ad potum eiſdẽ, & alijs ſubminiſtrandum.

Ca-

## ¶ Caput quintum. De confugientibus ad Eccleſiam.

VT Confabulationes, inquietudines, nõnullaque alia inconuenientia, quæ ex conſortio ſæculariũ (experientia docente) ſubſequuntur vitẽtur, inuiolabiliter ſtatuimus, quòd nullus Miniſter audeat ad noſtras Eccleſias, ſeu monaſteria cõfugientes recipere: tamen ſi pro vitando aliquo periculo, aliquem recipi cõtigerit, de aſſenſu Patrum à conſilijs fiat, qui vbi receptus fuerit, à fratribus viſitari non permittatur, neque cum eo, quiſpiam confabuletur, niſi de Prælati licentia, pro qualibet vice obtenta: quæ non niſi ſenioribus concedatur. Neque aliquis fugitiuos, armis offenſiuis defendere nitatur, aut tentet, ſed conſilio tantum, monitionibusvè, aut cenſuris, §. 1.

vt

vtpote, armis Eccleſiæ. Subditus, qui contra prædicta omnia, vel ſingula aliquid facere præſũpſerit, quatuor diebus carceri mancipetur, & grauiter puniatur. Miniſter verò, aut Vicarius hoc conſentiens, & impunitum relinquens pœnæ grauis culpæ ſubiaceat.

## ¶ Caput ſextũ. *De Religioſis exeuntibus à monaſterio.*

§. 1. SI iuſta aliqua neceſſitas è monaſterio fratres ad villam, ſeu ciuitatem exire compellat, non aliter fiat, quã habita prius Prælati licẽtia, qui vnicuiq; ſocium fratrem aſsignabit, ex antiquioribus, & religioſioribus in domo cõmorantibus, qui poſtquam reuerſi fuerint, Prælato ſe præſentent, & genu flexo benedictionem à Prælato poſtulent, dicentes, Benedicite,

niente, vt ſic conſtet Prælato de fratrum exitu, & reditu: hoc idem cum hoſpitibus etiam ſeruetur, quod inuiolabiliter Prælati obſeruent, & ſi in hoc negligentes fuerint, Patris Prouincialis conſcientiam oneramus, vt eos grauiter puniat. Miniſter per ſpatium quindecim dierũ, ſuis ſubditis, ob cauſam iuſtam, neceſſariam, & rationabilem, facultatem exeundi extra monaſteriũ concedere poterit.

Itinerantes ſemper iter faciant cappis bruni coloris induti, & quidquid in itinere acceperint, Prælato ſuo cum redierint, liberè exhibere teneantur: fratres quoque viatores teſtimoniales literas ſecum deferant, & de ſuis exceſsibus in conuentibus, ad quos declinauerint, emendentur. In quocunque autem loco fratres itinerantes deliquerint, Pater Prouincialis, ſeu Miniſter conuentualis, intra cuius §. 2.

cuius territorium reperti fuerint, deliquiſſe, eos puniendi, ſicut fratres ſuos, liberam habeat poteſtatem.

§.3. Miniſter, Miniſtrum hoſpitē honorificè hoſpitio excipiat; hoſpes verò non Miniſter, abſque conuentualis Miniſtri licentia per ciuitatē non diſcurrat, neque in ea moram faciat. Nullus item hoſpes (quiſquis ille ſit) audeat extra monaſterium in ciuitate, vel oppido, vbi ſit, pernoctare, etiam in domo parentum, ſub pœna grauioris culpæ.

## ¶ *Caput ſeptimum. De officio procuratoris Prouinciæ, & cuiuslibet domus.*

§.1. QVI totius prouinciæ procurator fuerit, ſit etiam ſpecialis procurator domus noſtræ Vlyſ-

Vlyſsiponenſis, cuius officium, vſq; ad futurum Capitulum Prouinciale durabit: talis religioſus ſit Dei, & Religionis zelo præditus, prudens, & expertus, ac in his ſolicitus, quæ ad eius officium attinent. Cuius muneris eſt omnia negotia & ſingula procurare, ad vniuerſam Prouinciam, & ad quemlibet eius Cõuentũ pertinentia, obtenta prius à Patre Prouinciali generali procuratione ad hoc exequendum.

Prouinciæ Procurator vbi primũ Redditus, vel Prouẽtus Monaſteriorum receperit, ſtatim, de tali receptione eorundem Conuentuũ Prælatos certiores faciat: cui ſub pœna grauioris culpæ præcipimus, nè ex acceptis aliquid, niſi de ipſorũ Prælatorum facultate diſtribuat, vel tradat. §. 2.

In qualibet verò noſtri ordinis domo, ſit vnus Procurator, qui Rerum temporalium curam habeat, & cum §. 3.

Prælati conſilio, & facultate de neceſſarijs prouideat, qui omnes Redditus & Prouentus monaſterij exigat, & colligat, Depoſitarijsque tradat coram Conuentus Scriba, vt eorum numerum, & qualitatem in libro annotet: ad expenſas à Depoſitarijs pecuniam accipiat, quibus in fine cuiuslibet hebdomadæ rationẽ reddat: nihil extra Monaſteriũ mittat, aut tribuat, ſine ſpeciali Prælati licentia, quod idem, inuiolabiliter obſeruare teneãtur, Religioſi in villis noſtri Ordinis commorantes, qui etiam ſine eadem licentia nihil vendere, aut commutare poſsint, quamuis eis inde aliquod commodũ prouenire videatur, ſi contra omnia, & ſingula hîc contenta, aliquis fecerit, pœnæ grauioris culpæ ſubiaceat.

§. 4. Procurator ſit valdè ſolicitus, vt Eleemoſynæ pauperibus diſtribuendæ, munde, & charitatiuè, monaſte-

rij

rij Oſtiario debitis temporibus tradãtur. Huic etiam à Miniſtro ſocius aſsignetur, qui Diſpẽſator vocetur, ad adiuuandum & ſeruiendum in omnibus, iuxta ordinem à dicto Procuratore præſcriptum. Omnes Procuratores tàm Prouinciæ quàm cuiuslibet domus, à P. Prouinciali, Miniſtro, & Vicario vocaliter eligãtur.

## ¶ *Caput octauum. De Scriba Conuentus.*

PATER Prouincialis, Miniſter, & Vicarius in vnaquaque domo, vnũ Scribam vocaliter eligant, religioſum fidelem, timoratum, & bene expertum in his, quæ ad tale munus conducunt: qui in libris denotet, omnes Cẽſus Redditus, Prouentus, & Eleemoſynas, vndecunque licitè venerint, expreſſa facta mentione, quantitatum, & qualitatum §. 1.

rerum, vbi etiam notet diẽ, quo Famuli inſeruire cœperunt, eorumq; pretium, & mercedem, & quidquid eis redditum fuerit ſuarum mercedum: quæ omnia in tribus libris diſtinctè & clarè apponat: in quorum vno acceptam & diſtributam pecuniam deſcribat, in alio vero, quidquid receptum, & expenſum fuerit tritici, hordei, olei, vini, & cæterorum, in alio denique Mercenariorũ pretia, & nomina, & quidquid eis fuerit ſolutum. Hic etiam domus procurationes, & ſatisfactionis chirographa facere debet, eaq́ue Prælato ſubſignanda præſentare, & in reddẽdis rationibus adeſſe, vt quidquid fuerit expẽſum, in libris deſcribat. Omnes prædictos libros in Archa depoſiti ſemper clauſos eſſe volumus, vnde non extrahantur, niſi vt aliquid in eis ſcribatur, in Depoſitariorum præſentia, ſtatimq́ue in prædictam archam, conijciantur.

¶ Ca-

## ¶ *Caput nonum. De patrimonijs religioſorum.*

QVoniam iuſto titulo, & ex antiquo noſtræ religionis more, monaſteria huius Prouinciæ, quæ hæreditario iure, ad religioſos pertinent, acquirere debent, volumus, vt poſt obitũ patris, vel matris alicuius religioſi, Prælatus diligenter inquirat, vtrum ſit aliqua hæreditas, quæ ad monaſterium ratione talis religioſi pertineat, quam ſi compererit, opportuno tempore exigat. Idem omnino obſeruari præcipimus in acquirendis quibuſcunque bonis, quouis iure, aut iuſto titulo ad fratres, vel monaſteria huius Prouinciæ, pertinentibus. §. 1.

Bona hoc modo acquiſita, ſi fue- §. 2.

rint immobilia, Conuentui incorpo rentur: quæ ſi neceſſe fuerit in Cenſum dari, conſanguineo, cui talis religioſus ea petierit, tribuantur, de licentia tamen Patris Prouincialis, & conſenſu maioris partis Capituli domus, & cum decenti, & congruo Cenſu. Si verò mobilia fuerint, nulli donentur, niſi conſanguineis eiuſdem religioſi, pauperibus, & valdè indigentibus: & tunc Miniſter, & maior pars Capituli, tantum illis vſque ad viginti quinque aureos erogare poterunt, & vltra hoc pretium, ſine Patris Prouincialis, & Definitorũ Prouinciæ facultate, aliquid eis concedi minimè poterit à maiori parte Capituli.

§. 3. Vt aliquibus incommodis occurramus, Religioniſque vtilitati conſulamus, ſtatuimus, ne pactum aliquod fiat de iure futuræ ſucceſsionis, cum parentibus adhuc viuentibus religioſorum, ſine ſpeciali licen

tia

tia in ſcriptis obtenta, à Capitulo Prouinciali,& à maiori parte Capituli Conuentualis. Si tamen fuerit periculum in mora,ne occaſio vtilitatis Religionis omittatur, tunc fiat de aſſenſu Patris Prouincialis,& Definitorum Prouinciæ, Miniſtrique, ac maioris partis Conuentus,vbi talis religioſus ſe votis Deo obligauit.

## ¶ *Caput decimum. Quomodo res in Cenſum dari debeant.*

SAnctorum Patrũ decretis inhærentes, ſtatuimus, ne in hac noſtra Prouincia aliquid in Feudũ,ſeu Emphyteuſim detur, niſi inde maximũ aliquod cõmodũ Monaſterio, manifeſtè ꝓuenire videatur,& tũc etiã hoc non fiat ſine facultate Capituli Prouincialis, & maioris partis Capituli §. 1.

Cõuentualis, hac etiam conditione interpoſita (ſi ſummus Pontifex hũc cõtractum ratum habuerit) pactum verò Feudi, ſeu Emphyteuſis alio quocunque modo factum, ex nunc nullum, & irritum eſſe declaramus.

§. 2. Quando contigerit, vt de iure teneamur aliquam proprietatem, ſeu poſſeſsionem, in Emphyteuſim, ſeu Cẽſum dare, Prælatus hoc prius in Capitulo proponat, vt duo religioſi experti vocaliter eligãtur, qui prædictam poſſeſsionem conſpicere, ac dimetiri valeant, & quidquid in ea inuentũ fuerit, diligenter, & diſtinctè enumerent, ſcilicet domos, puteos, ciſternas, ſtagna, & fontes aquarum, prata, vineas, hortos, oliueta, & arbores cuiuſcunque generis, & quæuis alia: & adhoc bene exequendum, ſi opus fuerit, vicini, & teſtes aduocentur, vt in eorum conſpectu prædictæ poſſeſsionis fiat dimenſio, terminique cruce noſtra

inſigniti

inſigniti defigantur. His peractis in duobus Capitulis Miniſter cum fratribus conueniat, de quantitate redenda ſingulis annis, Penſionis, vel Cenſus,& de conditionibus, quæ in publica ſcriptura apponi debeant, hoc etiam non fiat, niſi de facultate Patris Prouincialis in ſcripto obtenta, ſi præſens non fuerit: dimenſiones verò, & reliqua, quæ inuẽta fuerint, in dicta ſcriptura apponantur.

Si verò Emphyteuta, ſiue Feudatarius talem poſſeſsionem vendere voluerit, & Cõuentus, eodem pretio eam ſibi appropriare noluerit, Miniſter,& fratres, quæ ſupra dicta ſunt, eodem ſeruato ordine exequãtur:& poſtea ſoluta prius debita pẽſione,& laudemio, ſeu decima, talis facultas alicui non concedatur, niſi per publicam ſcripturam corã religioſis vocalibus Cõuentus in Capitulo factam, per publicum Tabellionem, ſeu Notarium, in qua etiam, di §.3.

menſiones, & reliqua, quæ inuenta fuerint, diſtinctè ſcribantur.

§. 4. Omnes cõtractus, ſcripturas, & pacta, Emphyteuſis, Feudi, Cẽſus, vel facultatis venditionis, aut alienationis, donationisvè, quæ prædictum ordinem non ſeruauerint, & in Capitulis noſtrorum Conuentuum coram fratribus per publicum Tabellionem, vel Notarium, facta non fuerint, ex nunc irrita, & nulla eſſe declaramus, & quòd nullam omnino inducere poſsint obligationem, ſtatuimus.

§. 5. Miniſter omnes prædictas ſcripturas in Monaſterij Monumentis, quàm primum faciat deſcribi, à publico Tabellione, & maximè curet, vt in omnibus poſſeſsionibus, quæ ad nos pertinent noſtri Ordinis Cruces apponantur: qui ſi omnia & ſingula in hac Conſtitutione contenta, non præſtiterit, grauiter puniatur. Si quod Miniſter prætermiſerit le-

uc

ue fuerit, ad arbitrium Patris Prouincialis, & Viſitatorum emēdetur, ſi verò graue,& ex quo notabile detrimentum, vel præiudicium Monaſterio proueniat, Pater Prouincialis, modo aſsignato, in libro tertio, capite vndecimo, §. quarto, hanc cauſam iudicet, iuxta delicti & præiudicij qualitatem, vſque ad abſolutionem ab officio, ſi viſum fuerit.

§.6. In quacunque Viſitatione, Scriba Conuentus, Scripturas & Inſtrumenta à proximiori viſitatione facta, in Cathalogo cōſcripta, præſentare teneatur, vt de eorum appoſitione in Monumentis, etſi facta fuerunt iuxta huius Conſtitutionis tenorem, innoteſcat.

## ¶ *Caput vndecimum. De examinandis fratribus & approbandis, ad Ordines recipiendos.*

IN

§. 1. IN Vnaquaque domo noſtri ordinis Pater Prouincialis, ſimul cum Miniſtro, & Cõſiliarijs dom⁹ examinet, de vita, moribus, ætate, & ſcientia, qui ad quoslibet ordines promouẽdi ſunt, & qui idonei inuenti fuerint, per ſuas literas ab ijſdem ſubſcriptas approbentur. Nulli verò ad recipiendum Ordinem Subdiaconi facultas concedatur, niſi poſt tres annos à ſuſceptione habitus in hac noſtra Prouincia. In reliquis ſeruetur ordo à ſancto Concilio Tridẽtino præſcriptus, & iuxta eiuſdem præceptum, inter vnius ordinis ſacri, & alterius receptionem, vnus annus interponatur, niſi ex cauſa cum aliquo diſpenſetur. Qui aliter ordines acceperit, vltra alias pœnas iuris ab eorundem exercitio ſuſpendatur.

Seſs.23.c.13 de refor.cũ antec. & ſubſeq.

§. 2. Nullus Miſſam nouam dicat, niſi

prius,

prius, de prælati commiſsione, per religioſos de cæremonijs beneperitos, ſit de eiſdem diligenter examinatus, & approbatus. In quolibet monaſterio noſtro ſit liber, in quo notetur tempus, & locus receptionis Ordinum, & qui facultatem dederunt ad eos recipiendos, in cuius rei teſtimonium, ab Scriba Cõuentus inſtrumentum fiat, à Miniſtro ſubſignatum.

## *Caput duodecimum. De Studentibus, & eorum Magiſtro.*

ORDINAMVS, & præcipimus, quod Studentes, & Aſsignandi in aliquo noſtri Ordinis Collegio tã ad ſtudiũ Philoſophiæ, quàm Theologiæ, ſint probati, moribus, vita, §. 1.

ingenio,

ingenio, ac ſcientia, & à Patre Prouinciali, & Definitoribus examinati, electi, & approbati, per calculos nigros & albos, & qui habeant, ad minus tres annos completos, à ſuſceptione habitus, ſupra quo Patris Prouincialis, & Definitorum conſcientias oneramus, admiſsi verò neque diſtrahantur, neque alijs occupentur, aut vagari, aut ad Ciuitatem, vel Villam exire permittantur, niſi raro, & cum maxima neceſsitate, qui autẽ in actibus ſcholaſticis notabiliter negligentes, ſeu inſufficientes inuenti fuerint, per Patrem Prouincialem, & Viſitatores ab Studiis abſoluãtur, & aliis officiis occupentur, vel ad alias domos mittantur.

§. 2. Et quoniam circa Studentes diligens eſt adhibenda cura, aliquem Fratrem peculiarem habeant, cui ſicut Miniſtro ſuo obtemperent, & ſine eius licentia, quaterniones non ſcribant, neque lectiones audiant,

&

& quæ circa eorum ſtudium emendanda viderit, emendet: & ſi hæc vires eius excedant, ea Prælato proponat. Locus verò proprius, ſecundum quod Miniſtro Conuentuali viſum fuerit expedire, aſsignetur, in quem Magiſter Studentium, cum fratribus Scholaſticis conueniat, ad concluſiones impugnandas, & defendendas, atque ad dubia ſoluēda, & lectiones conferendas.

Concluſionibus autem Miniſter, ſi potuerit, ad eſſe debet, quibus Magiſter Studentium præſideat, dubiiſque reſpondeat, & quod ille dixerit, pro vero habeatur, & niſi præſens fuerit Miniſter, vel Vicarius, illi in omnibus obediant, ſed præſente Miniſtro, tam ille, quam omnes, ſi ipſe præcipiat, tacere teneantur. Magiſter ſic inſtruat Studentes, quod vno quærente, vel proponente cæteri taceant, ne loquētem impediant. Si quis autem indebitè, §.3.

vel

vel confuſè, aut clamoſè, ac proter-
uè quærens, vel proponens reperia-
tur, ſtatim à Miniſtro vel Vicario,
aut Magiſtro ſtudentium corripia-
tur.

§.4. Magiſtri ſtudentium, & Lecto-
res cuiuſcunque facultatis in Capi-
tulo Prouinciali, à P. Prouinciali, &
Definitoribus vocaliter eligantur,
extra verò tempus Capituli, vacan-
te aliquo Magiſtro ſtudentium, aut
Lectoris Officio, P. Prouincialis de
perſona idonea pro his officijs exer
cendis prouideat, ſuprà quo con-
ſcientiam ipſius oneramus.

§.5. Religioſi ſtudẽtes, ſæculares ſciẽ
tias non addiſcant, niſi aliquãdo er-
ga aliquos Cap. Prouinciale, vel Pa
ter Prouincialis voluerit aliter di-
ſpenſare, ſed tantum libros Theolo
giæ Scholaſticæ legant, intra cellas
vero ſcribere, legere, orare, ſom-
num capere, & etiam noctu lucerna
accenſa vigilare, ſilentij tẽpore poſ-

ſint,

ſint,propter ſtudium. Ipſi ſtudio taliter ſint intenti,vt die noctéque tam domi, quàm iter agentes legant, & aliquid meditentur,& quidquid memoriter retinere potuerint, retineant. Nullus intra ſpatium temporis ſui ſtudii cõcionetur, niſi in quarto anno, ſub pœna grauioris culpæ infligenda, ſeu incurrenda, tàm illi, quàm Miniſtro cõſentienti: & poſtquàm per quadriennium Theologiæ ſtuduerint, ipſo facto,ſint ab ipſo ſtudio abſoluti, niſi per Capitulum Prouinciale aliter determinetur.

Item Miniſtros Academiarum admonemus, quòd in Cathedrarum vacationibus ſummam adhibeant curam, nè in alicuius Oppoſitorum fauorẽ ſeſe propenſos oſtendant, ſed (ſicut viros religioſos decet)omni odio, & amore poſtpoſito,ſola cuiuſque merita, & iuſtitiã, quàm pro Cathedra regẽda habet, §. 6.

 atten-

attendentes, ſuffragia (prout conſcientia dictauerit) præſtent. Frater, qui ſignis, aut verbis paſsionē ſuam notabiliter, & ſcandaloſè oſtenderit, ipſo facto Studio priuetur, & in alio Conuentu pæna grauioris culpæ puniatur.

§.7. Statuimus etiam ſub pæna priuationis ab Studio, quòd nullus Frater, à ſuo Collegio in aliã noſtri Ordinis domum proficiſcatur, prætextũ interſtitij literarum, niſi ſaltem octo mēſes ſui Studij compleuerit, & tunc de Patris Prouincialis licentia: cui Patri Prouinciali, ſub grauibus pœnis ſubeũdis inhibemus, ne talem facultatem ante præfatum tempus alicui concedat.

## ¶ *Caput Decimũtertium. De Graduatis, & eorum ſufficientia.*

§.1. RAtionis æquitas expoſcit, vnũquemq;, prout certamen geſſit,

ſit, laboris mercedem habere. Ideoque perpetuo inuiolabiliq; ſtatuto mandamus, quòd nulli Præſentaturæ gradus concedatur, niſi poſt ſex annos, à fine quadriennij ſui Studij enumeratos, & niſi ſit Baccalarius formatus de licentia ordinis, in aliqua Academia approbata huius Regni, & dũmodo intra dictum ſexennium ibidem, vel in noſtra Prouincia, per tres annos, Theologiam, vel Caſus conſcientiæ, vel Dialecticam, Philoſophiam, aut Metaphyſicam docuerit, ſeu Sacrã Paginam interpretatus fuerit: & vbi primum hæc habuerit, ſtatim pro Præſentato habeatur, ſi octauus eorum numerus non fuerit plenus; nã alioquin in primò loco, qui vacauerit, Baccalarius formatus antiquior à ſuſceptione habitus, qui hæc etiã habuerit, ſuccedat. Pater Prouincialis, & Definitores Fratribus, virtute, ingenio, Religioneq; præditis facultatẽ tribuant,

vt in quacunque Academia approbata huius Regni, ad Baccalariatus formati gradũ promoueri poſsint, dummodo graduum expenſæ, ex Monaſteriorum ſumptibus minimè fiant, & nullus Præſentati nomine, & honore fruatur, niſi modo ſuprà expoſito admiſſus fuerit.

§. 2. Nemo etiam ad priuilegia Magiſterij in Theologia admittatur, niſi vltra ea, quæ ad ſuſcipiendam Præſentaturæ dignitatem requiri mandauimus, in aliqua approbata Academia, ſiue in noſtra Prouincia, per quadriennium Theologiam, vel Caſus conſcientiæ legerit, aut Sacram Scripturã fuerit interpretatus: huic verò per hanc noſtram Coſtitutionem facultatem cõcedimus, vt Magiſterij gradum, vel Doctoratus, à Summo Pontifice, vel à noſtro Reuerendiſsimo Patre Generaliſsimo, cum omni poſsibili, & neceſſario fauore ab Ordine cõceſſo, impetrare

acci-

acciperevè poſsit,quo(modo ſupra dicto)accepto, ſi numerus nõ fuerit impletus, ſtatim omnibus priuilegijs,& dignitatibusMagiſterij,in Ordine potiatur. Si tamẽ aliquis poſtquàm Præſentaturæ dignitatem habuerit,in aliqua inſigni huius Regni Academia ad Doctoratus gradum promotus fuerit, ſtatim Magiſtri in Sacra Theologia, honore & priuilegijs fruatur,ſi quartus eorum numerus non fuerit plenus: nam alioquin in primo loco, qui vacauerit, antiquior Doctor, ſeu Magiſter à ſuſceptione habitus, ſuccedat. Horum graduum expenſæ non fiant ex Monaſteriorum ſumptibus, quodlibet enim noſtri Ordinis Collegium ſolum vſque ad præfatum Baccalariatus gradum, quæ victui, & veſtitui neceſſaria ſunt,fratribus miniſtrare poterit.

Nulli præterea gradus Præſentaturæ concedatur, niſi ad minus tri- §. 3.

gcſimum ſuæ ætatis annum expleuerit, & decimum quintum à ſuſceptione habitus: nec Magiſterij, niſi quadrageſimum ætatis ſuæ annum attigerit, & vigeſimum à ſuſceptione habitus.

§.4. In tota autem hac noſtra Conſtitutione, & Decreto, nec per Reuerendiſsimum Maiorem Miniſtrum, nec per Patrem Prouincialem, neq; per Capitulum Generale, aut Prouiuciale diſpenſari valeat, quod ſi oppoſitum factum fuerit, totum ſit irritum, & inane, & pro non graduatis habeantur.

§.5. Quoniam vero, ex eo, quod non eſt certus, neque determinatus numerus Laureatorum, prouenit, numerum Priuilcgiatorum eſſe maximum, huic incommodo obuiam ire cupientes, ſtatuimus & mandamus, ſub excõmunicationis pœna, quàm in his ſcriptis ferimus, vt Magiſter, qui Magiſterij priuilegijs frui debent,

benr, ſint tantum quatuor, Præſentati, vero, qui Præſentaturæ priuilegijs debent potiri, octauum numerum non excedāt; neque aliquis de nouo admittatur, donet ad prædictum numerum ſint redacti, ita tamen, quod prædictus numerus nunquam augeatur. Quidquid verò in contrarium factū fuerit, tàm quoad Præſentatos, quàm etiam quoad Magiſtros totum ſit irritū, & inane.

In Sacra Theologia (vt prædictum eſt) Magiſter ſeſsionem & antiquitatē, & Primam mēſam ſuper alios Fratres, Conuentuales obtineat, vocemq́ue habeat in Capitulo Prouinciali, literas recipere, & mittere abſque licètia poterit, & à Tabula Officiorum ſit immunis, neque choro intereſſe teneatur, niſi in Veſperis, Matutinis, & Miſsis feſtiuitatum Primæ Claſsis: hæc etiā priuilegia Præſentatis coōcedimus, præter ſeſsionem. §. 6.

§7. Si quis Graduatus ex alia noſtra Prouincia ad hanc venerit, & receptus in ea fuerit, Graduatorum locum non obtineat, quouſque in Capitulo Prouinciali examinetur, qualiter ad Gradũ in ſua originali Prouincia fuerit prouectus, & per Patrem Prouincialem & Definitores fuerit admiſſus. Magiſtri in Theologia in communitatibus, ſi poſt congregatum Conuẽtum, ſerò aliquando venerint, ſolum à Miniſtro, vel Vicario domus veniam petant.

§.8. Ordinamus quod in quolibet Cõuentu, vbi Theologiæ Studium non viget, lectio Caſuum conſcientiæ, quotidie habeatur, circa quod Patris Prouincialis, & Miniſtri Conuentualis, ac Viſitatorum conſcientias oneramus.

§.9. Quoniam Sapientis teſtimonio:
Eccleſ 20. theſaurus inuiſus & ſapiẽtia abſcõſa: quæ vtilitas in vtriſque? Propterea ſtatuimus & inuiolabiliter obſer-

ſeruandum præcipimus, vt omnes Magiſtri, vel Præſentati, cuiuſcunque conditionis, & dignitatis, in domibus ſuarum profeſsionum, vel in alijs, in quibus habitauerint nõ otioſi, & infructuoſi maneãt, ſed teneantur, ad populum conciones habere, diebus Dominicis, & Feſtiuis, prout Miniſtro domus, quam incolunt, viſum fuerit, aut docere teneãtur aliquid, vel aliquibus lectionibus occupari, quòd ſi alteri ex his noluerint incumbere (niſi grauis morbus, vel aliud licitum obſtaculum id impediat) ſtatim priuatos ſeſsionibus, prærogatiuis & honoribus cuiuſcũque gradus declaramus, eosq; obligatos eſſe decernimus, omnibus officiis domus, quæ Fratres illiterati Conuentuales obire tenentur. Miniſter verò, qui pro nihilo duxerit, hanc noſtram perutilem ſanctionem, ſtatim ab officio ſit priuatus.

## ¶*Caput Decimumquartum.* De *Prædicatoribus.*

§. 1. Diligentiſsimè curet Pater Prouincialis, ne Prædicationis officiũ committat, niſi Fratrib⁹ ad hoc idoneis, moribus & ſcientia probatis, nè ex Prædicatorũ inſufficientia ordo ſacer contemptui ſit, & eorũ ignorantia vergat in animarum periculum, ideo ſtatuimus, quod nulli (niſi ſit Baccalarius per aliquam Academiã approbatã) facultas ad Prædicandũ concedatur, antequã per quadriennium completum Sacræ Theologiæ ſtudio incũbat, & coram Patre Prouinciali, & Definitoribus Theologicas Concluſiones ſemel defendat, concionẽq; publicã, vel priuatã in loco ab ijſdem aſsignato habeat, & poſt hæc etiã per calculos nigros, &

albos

albos ab ipſis approbetur, approbationē q; eorũ nominibus ſubſcriptã obtineat, qui aliter Prædicare auſus fuerit, pœna carceris puniatur, Miniſtri, Vicarij, ſeu Præſidentes hoc permittẽtes, pœnæ grauioris culpæ ſubiaceant. Poterũt tamen Theologiæ Studentes tantum in quarto anno de Patris Prouincialis licentia, ad ipſorum exercitium Prædicare.

Qui vero benedictione accepta, ad cõcionandũ ierit, vbiq; tãquam vir ſanctus, (qui ſuã, & alorũ ſalutẽ curare ex optat) religioſè, & honeſtè ſe habeat, vt vir Euangelicus, & Apoſtolicus, Saluatoris ſui veſtigia ſequẽs, Deũ ſecũ ſemper meditetur cũ proximis de Deo loquatur, ſuſpectos, & vitioſos comitatus fugiat. §.2.

Vbi Cõcionatores noſtri Ordinis, ad aliquã diœceſim alicuius Ordinarij (pro exponendo verbo Dei) venerint: primo, ſi potuerint, ipſum viſitabũt, vt iuxta eius Conſilium vtiliter §.3.

ver-

verbum Dei, populo proponant,& animarum fructũ,quem intendunt, aſſequantur:& quandiu in eius diœceſi morati fuerint,ipſi deuotè obedientes erunt. Prædicare verò nullus audeat in illius diœceſi (qui cõcionari interdixerit) niſi literas, & mandatũ habeat,à Summo Pontifice. Caueãt etiam Prædicatores,nè ponentes os ſuum in cælũ,ſuis concionibus Religioſos, aut Clericos ſcandalizent,ſed ſi quæ in ipſis corripienda viderint, aut cognouerint, ſeorſum,reuerenter vt Patres obſecrando,emendare procurent.

## ¶ *Caput decimũquintum. De Tabula Officiorum.*

§. 1. IN Vnaquaq; hebdomada Cantor Maior vniuſcuiuſq; domus in Tabula officiorũ, (notata prius Dñica cuiuslibet hebdomadæ) ſequentia officia hoc ordine deſcribat.

| | |
|---|---|
| Hebdomadarius. | Fr.N. |
| Diaconus. | Fr.N. |
| Subdiaconus. | Fr.N. |
| Acolythi. | Fr.N.&Fr.N. |
| Thuriferarius. | Fr.N. |
| Cantores. | Fr.N.&Fr.N. |
| Cantent Inuitatoriũ. | Fr.N.&Fr.N. |
| Pulſator Organorũ. | Fr.N. |
| Intonitor. | Fr.N. |
| Lectionem Primam. | Fr.N. |
| Secundam. | Fr.N. |
| Tertiam. | Fr.N. |
| Quartam. | Fr.N. |
| Quintam. | Fr.N. |
| Sextam. | Fr.N. |
| Septimam. | Diaconus. |
| Octauam. | Hebdomadarius. |
| Nonam. | P.Miniſter. |
| Pronũciator Kalẽdarũ. | Subdiacon⁹. |
| Lector ad primã mẽſam. | Diaconus. |
| Ad ſecundam. | Fr.N. |
| Seruitores ad.I.mẽſam. | F.N &F.N. |
| Lucernarij. | Fr.N.&Fr.N. |
| In Officio humilitatis. | Fr.N. |

Et vltra hoc pridie vnius diei, illarum Feſtiuitatum, in quibus Prælatus Officium debet celebrare, Cantor maior petat ab eodem, illorum fratrum nomina, qui ſimul cum eo in prædicto officio adminiſtrare debent, quæ deſcripta in papyro ad Dormitorij fores affigat, vel in Refectorio per legi faciat.

§.2. Hebdomadarius, Diaconus, Subdiaconus, Pulſator Organorum, Lectores, & Seruitores, cuiuſcũq; hebdomadæ, extra Monaſterium non exeant, ſine vrgente neceſsitate, ſi vero exire opus fuerit, prius Prælatum certiorem faciãt de Fratre, cui talia Officia de ipſius licentia commendarunt. Quilibet religioſus Sacerdos habens viginti annos à ſuſceptione habitus, in Tabula officioru immunis ſit, ab officijs, Subdiaconi, Diaconi, Lectoris, & Seruitoris.

§.3. Quilibet Prædicator, qui poſt quadriennium completum ſui ſtudij per duo-

duodecim annorum ſpatium verbũ Dei populo propoſuerit, & paratus fuerit ad legendum, vel concionandum, quotieſcunque ei, à ſuis Prælatis fuerit commendatum, ab officiorum Tabula immunis erit, & à choro, exceptis feſtiuitatibus Primæ claſsis. Quod ſi alteri ex his incumbere noluerit (niſi grauis morbus, vel aliud licitum obſtaculum id impediat) ſtatim priuatum prærogatiuis ſupra dictis eſſe declaramus eũque obligatum eſſe decernimus omnibus officijs domus, quæ Fratres Conuentuales illiterati obire tenentur: Miniſter verò, qui hoc noſtrum perutile decretum parui fecerit, ab officio ſtatim ſit priuatus. S.4.

Cæteri Prædicatores, in hebdomada, in qua debẽt cõcionari, nullis officijs in ſeruire tenẽatur, verumtamen alijs tẽporibus & Hebdomadarij, & Seruitoris officia ſolũ exerceãt & Choro omnibus horis interſint.


INRI

# LIBER TERTIVS.

## ¶ *Caput Primum. De celebratione Capituli Prouincialis, & Capitularium Seſsione.*

STATVIMVS, & Ordinamus, quòd in hac noſtra Prouincia, quolibet triennio Capitulũ Prouinciale celebretur, quod incipiet Sabbatho, ante Dominicã quartam, poſt Paſcha Reſurrectionis, in qua pro Introitu maioris Miſſæ dicitur, Cantate, &c. §.1.

Ad Domum, inqua fieri debet Capitulum Prouinciale, omnes Fratres Vocales ipſius Capituli conueniant, Feria ſexta, ante prædictam Dominicam, & curent nè ante hoc tempus veniant. Miniſter ipſius domus mundatas, & præparatas cellas, ac §.2.

benè diſpoſitas habeat, omniaq́ue alia ad Capitulum neceſſaria.

§. 3. In Prouinciali Capitulo Vocales eſſe declaramus, Patrem Prouincialem, ſeu Præſidem Prouinciæ, Monaſteriorũ Miniſtros, in Sacra Theologia Magiſtros, & Præſentatos admiſſos, & etiam eos, qui in hac Prouincia fuerũt Prouinciales, Procuratores domorum ad id Electos, & decem & ſeptem Electores, quorũ decem in Conuentu noſtro Vlyſsiponenſi, & ſeptem in Scalabenſi à maiori parte Capituli Conuentualis eligantur, eo ordine, quo Procuratores Monaſteriorum eligi debent, & eorundem Electorum electio intra menſem ante Capitulum Prouinciale fiat, alioquin illam ex nũc nullam eſſe declaramus: qui Electores nõ eligantur ante trigeſimum ætatis annũ, neq; ante duodecimũ à ſuſceptione habitus: quorum electio fiat poſt electionẽ Procuratoris, qui Procura-

curator eligi non poſsit, niſi ex Religioſis commorantibus in eadem domo, vbi electio fit: Electores verò liberè ex qualibet domo noſtræ Prouinciæ eligi poſsint, dummodo non ſint ex eorum numero, qui vel in noſtra domo Ceptenſi, vel extra Regnum fuerint. Si autem alicuius domus Miniſter, ad Capitulum Prouinciale, quauis ex cauſa venire nõ potuerit, eius loco Vicarius ſeu Præſes eiuſdem domus veniat.

§.4. Patris Prouincialis Officiũ Feria ſexta nocte ante prædictã quartam Dñicã finietur, qui tamẽ, & in Capitulo Prouinciali, & in tota Prouincia præſidebit, vſque ad P. Prouincialis de nouo electi confirmationẽ, iuxta Breue Apoſtolicum huic Prouinciæ cõceſsũ à Sereniſsimo Principe Alberto. S. R. Eccl. Cardinali, & eiuſdẽ Sedis à latere Legato, in his Regnis.

§.5. In Choro, Capitulo, Refectorio, & reliquis cõgregationibꝰ modo ſubſe

quenti Seſsiones Vocalium ordinentur, & ipſi eodem ordine Suffragia emittant. Pater Prouincialis, ſeu Præſes Prouinciæ, Miniſter domus, vbi Capitulum celebratur (Definitores Prouinciæ poſtquàm de nouo fuerint electi) Miniſtri pro antiquitate ſuarum domorũ, Vicarius eiuſdem Conuentus, vbi celebratur Capitulum Prouinciale, Magiſtri in Sacra Theologia. Deinde Procuratores Monaſteriorum, & Electores pro antiquitate Religionis. Reliqui qui non ſunt Vocales poſteà ordinatim ſubſideant.

§. 6. Volumus, vt omnes Vocales adminus ſint triginta, & habeant, vota in omnibus electionibus, quæ fieri debent in Capitulo Prouinciali. Et ſi aliquis ex vocalibus ſua culpa venire prætermiſerit, in Capitulo Prouinciali voce paſsiua careat, & ad arbitrium Patris Prouincialis, ac Definitorum puniatur.

¶ Ca-

## ¶ *Caput Secundum. De Procuratore cuiuslibet domus ad Capitulum Prouinciale.*

STatuimus, quòd om- §.1.
nis domus Conuẽtualis huius noſtræ Prouinciæ, ad Capitulum Prouinciale, nomine Conuentus Procuratorem mittat, & ille Procurator ſit, qui per plura Capituli vota per ſecretum ſcrutinium edita electus fuerit, & ex Religioſioribus, & antiquioribus presbyteris ſit aſſumptus, & ad Capitulum Decretũ, ſeu Teſtimonium ſuæ electionis, ac plenariæ facultatis, à Cõuentu ſibi datæ, & conceſſæ ab ſcrutatoribus ſubſcriptum ferat.

Modus autem huius electionis §.2.
obſeruabitur, prout habetur in Cõſtitutione prima, & tertia, Libri ter-

tij,niſi quòd Scrutatores electionũ, horum Procuratorum ſint P.Prouincialis ( cum potuerit adeſſe ) Miniſter,& Vicarius domus : & in cuiuſuis iſtorũ abſentia aſſumatur vnus Religioſus Antiquior illius Cõuentus habitator, & in abſentia tam Patris Prouincialis, quàm etiam Miniſtri, vel Vicarij,duo Religioſi antiquiores ex habitatoribus illius Domus,eorum locis ſubrogentur. Qui Procuratores ſint electi intra ſpatium vnius menſis, ante Capitulum Prouinciale,vel antea ſecundum loci diſtantiam: in quorum electionibus P. Prouincialis ſuum ferat ſuffragium,ſolummodo,in Conuentu, vbi Capitulum Prouinciale debet celebrari, & ad hoc munus domorum Vicarij aſſumi non poterũt,excepto illius Conuentus Vicario,vbi Capitulum Prouinciale celebratur. Et ſi hæc electio nõ fuerit facta iuxta huius Conſtitutionis tenorem,

Scru-

Scrutatores eã nullam fuiſſe declarent, & aliam Canonicam fieri iubeant.

Si poſt electionem prædicti Procuratoris, aliquid ei acciderit, quo legitimè impediatur, nè ad Capitulum Prouinciale venire poſsit, tunc Conuentus loco eius, prædicto modo, alium eligere poterit, intra tamen tale tempus, vt feria ſexta ante celebrationem Capituli Prouincialis, ſimul cum alijs ibidem adeſſe poſsit: nam aliàs ipſius electionem ex nunc irritã eſſe declaramus. Cui Procuratori vnuſquiſq; Frater, in particulari, Memorias, & Admonitiones proprio nomine ſubſignatas ad Capitulum deferendas committat, in eodemque Capitulo diligenter ſuum officium exerceat, iuxta poteſtatem ſibi traditam, & ordinem ſuæ Procurationis, cuius forma talis erit. §.3.

In nomine Sanctiſsimæ Trinita- §.4

tis, Amẽ. Notũ ſit omnibus, quòd in Monaſterio Ordinis Sãctiſsimæ Trinitatis Oppidi. N. vel Ciuitatis. N. iuxta noſtra ſtatuta, Canonicè elegerunt patrẽ Fratrẽ N. in proprium Procuratorẽ mittendum ad Capitulum Prouinciale proximè futurum, cui omnem poteſtatẽ tradũt, quàm de iure ei dare poſsunt, & debent, ad omnia præſtanda, quæ iuxta noſtrarum Conſtitutionum tenorem, vel Ordinationũ, exequi poteſt: & reliqua ab eis commiſſa, ſuis vè nominibus ſubſcripta diligenter procurabit, pro vt Conuentui, & Fratribus, melius viderit expedire, in cuius rei ſignum, & veritatis teſtimonium nos. P. Fr. N. & P. Fr. N. & P. Fr. N. prædictæ electionis Scrutatores præſentes literas proprijs nominibus ſubſignatas, & ſigillo noſtræ domus munitas tradidimus, die. N. menſis. N. anno à Natiuitate Domini. N. qui Procurator, neque Miniſtri,

ſtri, nec Fratrum culpas ad Capitulum Prouinciale deferat, has enim in Viſitationibus corrigi, & emēdari volumus.

Item ordinamus, quòd omnia nomina Fratrum ſui Conuentus prædictus Procurator, ad Capitulum Prouinciale in ſcripto ferat. §. 5.

## ❡ *Caput Tertium. De modo Electionum.*

STatuimus, & præcipimus, vt in Capitulo Prouinciali Prælati, & reliqui eligantur, eo ordine, quo hîc numerantur. Pater Prouincialis, Miniſter Domus, in qua celebratur Capitulum, reliqui Miniſtri, pro antiquitate domorum, & Definitores: quarum electionem Scrutatores erunt, Præſes Prouinciæ, Miniſter Monaſterij, vbi Capitulum, celebratur, & vnus Re- §. 1.

ligioſus antiquior à ſuſceptione habitus cæteris Vocalibus:& in abſentia cuiuſuis iſtorum, alter Religioſus eodē modo antiquior ex ſupradictis: excepto, quòd Præſes Prouinciæ, ſolum Scrutator erit, vſque ad confirmationem Patris Prouincialis denuo electi, qui vt confirmatus fuerit, ſtatim in omnibus electionibus inter alios duos Scrutatores primū locū obtinebit. Omnes autem tres ſupradicti, in omnibus electionibus, quæ in Capitulo Prouinciali factæ fuerint Scrutatores erunt.

§. 2. Omnes prædictæ electiones fiant, per Scrutinium ſecretum, in illiſque nullus Scriba adhibeatur, & hæc forma ſubſequens obſeruetur, quamlibetque electionem aliter factam irritam eſſe volumus. Singuli Electores in Schedulis eligendi nomē Scribant, nomen verò eligentis nūquam Scribatur, neque vnquam Scrutatoribus reueletur: quæ Schedulæ inuo

lutæ

lutæ ab Electoribus in aliquod vas conijciantur, quod in omnium præſentia ſit, & coram tribus Scrutatoribus ad Mēſam ſedentibus, qui primi ante omnes ſuo ordine vota emittant, deinde reliqui Vocales, quibus omnibus & ſingulis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis, latæ ſententiæ pœna, præcipimus, ne Schedulas ſine alicuius eligēdi nomine in ijſdem ſcripto, in prædictum vas conijciant, & quod vnuſquiſque qualibet vice vnā tantum Schedulā in vas mittat: & poſtquàm omnes ſua vota emiſerint, nouiſsimus Vocalium vas ad Scrutatorum Menſam deferat; & Scrutatores omnes ſtatim, ante quàm Schedulæ legantur, & fiat collatio numeri ad numerum, ad ſecundum iactum in aliud vas ſua vota emittant, quod etiam in alijs calculationibus obſeruabunt, & poſtea à Præſide dictæ Schedulæ primi iactus,

à va-

à vaſe extrahantur, & enumerētur, & videat, vtrum earū numerus conueniat cum vocalium numero, & ſi conuenerit, eas adaperiat, & ſubmiſſa voce legat coram alijs Scrutatoribus, factaq; collatione numeri ad numerum, vbi cōuenerint, quod aliquis extra Collegium, & numerum Eligentium, exiſtens, fuerit electus, à maiori parte vltra medietatem omnium Eligētium (ſiue excedat medietatem ipſam per vnum integrum Suffragium, vt cū vota Eligentium, ſunt paria, ſiue per dimidium, vt cū vota Eligētium ſunt imparia) Eius electio rata, & legitima habeatur: ſi verò è numero Eligētium quiſpiam electus fuerit, vt eius electio rata & legitima habeatur, duo vota vltra medietatem adeſſe oportet, ſiue ſaltem vnum votum cū dimidio: quando Eligētium vota, imparia fuerint, ne fraudi locus detur, & ne poſſit aliquis ſe ipſum eligere: talis autem

ita Electus ab Scrutatoribus declaretur, & poſt hæc ſtatim Schedulæ rumpantur, vel comburantur: & vt hoc melius fiat, in cōſpectu omniũ in loco aliquantulum ſeparato, ſit menſa cum omnibus neceſſarijs ad Schedulas conficiendas præparata.

Si verò perlectis Schedulis Scrutatores inuenerint, quod maior pars vocaliũ (modo ſupradicto) aliquem non elegerit, vocalibus clara voce exponant, quis plura vota ſuſcepit, & qui poſt eum ſubſequuntur, qui vè æquales fuerunt, ita tamen, vt omnia eorum nomina declarent, qui vota ſuſceperunt, dummodo votorum numerum non exprimant: & diſciſis Schedulis, vel cōbuſtis, denuo ſupra dicto ordine, omnes Capitulares vota emittant, & hunc ordinem ſequentes liberè obſeruent, vſque ad electionem Canonicam, quam facere teneantur die primo, alioquin ſecundo die non comedãt, §.3.

vſque-

vſque dũ Canonica electio fiat, iuxta hoc noſtrum Statutum.

§.4. Sabbatho ante prædictam quartam Dominicam, poſt Primam, ſolẽniter Spiritus Sancti Miſſa de cantetur, cui omnes Vocales aſsiſtant, qua peracta Præſes Prouinciæ breui ſermone rationem, ob quàm congregati ſunt, omnibus exponat, eoſq́ue vehementer adhortetur, vt ſolùm Deo Optimo Maximo inſeruire, & totius Religionis cõmodo, bonæq́ue gubernationi conſulere ſtudeant. Et poſteà idem Præſes, & dicti Scrutatores ante quamcunque Electionem ſciant, ſi fortè inter Vocales aliqui exiſtant, qui inhabiles ſint ad tale munus, & ſi aliqui inuẽti fuerint ad Capitulum Prouinciale non admittantur, neque Vocales in ipſo erunt, & eorum locis alij digni & habiles ſubrogentur.

§.5. Si fortè cõtigerit, quòd ex Vocalibus in Capite primo nominatis ob quã-

quācũq; cauſam, trigeſsimus nume rus non adimpleatur, vt in omnibus electionib⁹ Capituli Prouincialis ſuf fragia ferre poſsint: omnes quotquot Capitulares ibi Cõgregati fue rint, ante quācũque Electionẽ, priùs per Scrutiniũ Secretũ tot Religioſos Electores eligāt, quot ad trigeſimũ numerũ adimplendũ defuerint, qui eligantur ex Religioſis aſsiſtentibus in Conuentu, in quo Capitulũ Prouinciale celebrari debet.

Omniũ Electionũ Prælatorũ, & Definitorũ, quæ factæ fuerint in Capitulo Prouinciali, & Cõfirmationũ corundẽ inſtrumenta deſcribantur, à prædictis Scrutatoribus ſubſignata, in libro Prouinciæ, qui ſemper ſub P. Prouincialis cuſtodia erit. §. 6.

Qui vis Religioſus huius Prouinciæ, cuiuſcunque conditionis, & dignitatis, qui quocunque modo, ſiue per ſe, ſiue per interpoſitam perſonam, aliquem induxerit, ad §. 7.

ſuffra-

Suffragium ferendum, aut nõ ferendum, pro ſe, vel pro alio, in ſupra dictis Electionib⁹, præter pœnas Iuris pœnis grauioris culpæ ſubiaceat, & in perpetuũ in hac noſtra Prouincia ad quemcunque Præſulatum voce paſsiua careat.

§. 8. In omnibus Electionibus, (exceptis Prælatorum) quæ per Scrutinium ſecretum fieri præcipiuntur, ſi maior Vocaliũ pars vſque ad quintam calculationem, de Eligendo minimè conuenerit, in ſexta, qui plura vota obtinuerit, electus cenſeatur, etiam ſi maior pars Vocalium illi nõ faueat, at vero ſi in ſexta calculatione vota fuerint æqualia, electus cenſeatur Antiquior à ſuſceptione habitus, & Vocales in quinta calculatione admoneãtur, quòd iuxta hũc ordinem electio fieri debet.

*Caput Quartum. De Patris Prouincialis Electione.*

EODEM Sabba- §. 1.
tho manè poſt cō-
pletum trigeſimū
numerum Voca-
lium, & poſtquàm
de omnium habi-
litate conſtiterit, Præſes Prouinciæ
Scrutatoribus iuramentum præſtet,
vt tam in electione Patris Prouincia
lis, quàm in alijs omnibus, ſuum mu
nus exerceant fideliter, & veraci-
ter, ac iuxta noſtrorum Statutorum
decreta. Idem etiam iuramentum
præbeat reliquis Vocalibus, vt in o-
mnibus Electionibus ſua emittant
ſuffragia, ſecundum noſtra Statuta,
& vniuſcuiuſque conſcientiæ di-
ctamen, ac prout magis Religioni, &
Dei ſeruitio prodeſſe viderint.

His finitis ſtatim Præſes Prouin- §. 2.
ciæ, & Scrutatores, & alij Vocales
electionem Patris Prouicialis (mo-
do ſupra aſsignato) incipiant, & vbi
primum (iuxta formam ibi traditā)

nouus Pater Prouincialis fuerit electus, dictus Præſes coram Capitularibus, protinus id clara voce exponat: & Præſes atque Scrutatores breue tempus, certum, præciſum, & peremptorium, pro ipſorum arbitrio cõſtituant, intra quod, ſummariè, ſimpliciter & de plano, examinẽt, & videãt, ſi fortè aliquid ſit inuentum, quod tali Electioni obuiet, & cuius cauſa ipſam ſecundum ius, & noſtra Statuta irritare, & annullare debeant, quo tranſacto tempore, ſtatim ſi infirmanda fuerit, ab iiſdẽ infirmetur, & ad aliam denuò procedatur: alioquin protinus eandem Electionem validam, & legitimam eſſe declarent.

§. 3. Si P. Prouincialis denuò, electus ſit in ipſa Domo, in qua Capitulum Prouinciale celebratur, vbi primum electus fuerit, Præſes & Scrutatores eum ad Cellã proficiſci iubeant, vnde non exeat ſine corundem facul-

cultate, quam illi concedere non debent, niſi poſt prædictum tempus præciſum, & peremptoriũ elapſum: quo finito, ſi eius electio rata & legitima habeatur, ſtatim ad eiuſdem confirmationem (modo infra ſcripto) procedatur, niſi aliud fuerit iuſtum impedimentum.

Si verò prædictus P. Prouincialis §. 4. de nouo electus, abſens fuerit, poſt dictum tempus peremptorium tranſactum, Præſes & Scrutatores, eum iubeant accerſiri, & vbi primum venerit, (niſi aliquid aliud obſtet) modo infra expoſito confirmetur. Veruntamen, ſi in loco aliquo remoto extiterit, vndè illicò venire non poſſit, Miniſtri, & reliqui Vocales, in ſuos Conuentus reuertãtur, & iterũ redeant, quando eos Præſes Prouinciæ per ſuas literas aduocauerit. Si fortè talis Electus hoc officium acceptare noluerit dictus Præſes, & Scrutatores cum pœnis, & cenſuris,

 (ſi

(ſi eis viſum fuerit) ad acceptatio-
nem cogere, & impellere poterunt.

§.5. Si talis Electus in Africa (in Oppidis tamen, ſeu Ciuitatibus Chriſtianorum) aut extra hoc Regnum fuerit, & Vocatus à Præſide & Scrutatoribus per ſuas patẽtes literas, poſt notificationem earundem literarũ ſibi factam, intra tres menſes nõ venerit, ex nũc eius electionem, ipſo facto, irritam, & inanem eſſe decernimus: & tunc Præſes Prouinciæ, ſtatim per ſuas literas prædictos Capitulares aduocet, & iuxta formam ſuperius traditam, omnes iterum, nouam Prouincialis Electionem faciant.

§.6. Supradictis omnibus Electoribus Præcipimus, eorũq; cõſciẽtias maximè oneramus, nè ꝑ Religioſo aliquo, à iure impedito vota emittant, niſi prius habilis reddatur, neq; etiã, pro Fratre intra Turcarum, vel Maurorum, aliorumvè Infidelium regiones

nes commorante. Eoſdem etiam in Domino adhortamur, vt Prouincia lem eligant,profeſſum huius noſtræ Prouinciæ, Præsbyterum, virum ſapientem,ſobrium, benignum,honeſtum,ſtudioſum, & de Religione benemeritum,qui etiam, adminus, habeat trigeſimumquintũ ſuæ ætatis annum, & decimumquintum à ſuſceptione habitus: quod munus vltra trienniũ non exerceat,& tempore ſupradicto, finietur: neque idẽ immediate reeligi poterit, toto triẽnio ſequenti.

Si P. Prouincialis de nouo Electus abſens fuerit,à Præſide Prouinciæ,& Scrutatoribus (vt dictum eſt ſupra,hoc Capite. §.4.) aduocetur: & vbi primum aduenerit, in Prouincialem confirmari non poſsit, niſi poſtquàm Vocales Capituli Prouincialis congregati fuerint, & in eorũ cõſpectu:quos Præſes Prouinciæ in primo, vel ſecundo die poſt aduen §.7.

tum noui P. Prouincialis accerſiri iubeat. Si autem Præſes Prouinciæ, & Scrutatores certò ſciuerint, quòd prædictus P. Prouincialis intra dictos tres menſes venire non poteſt, vel tale munus acceptare non vult, ſi ad acceptandum, & veniendum intra hoc tēpus eum cogere noluerint, Præſes Prouinciæ, primo, vel ſecūdo die. prædictos Vocales ad Capitulum Prouinciale conuocet, ad nouam P. Prouincialis electionem: Præſes verò, qui quælibet contenta in hac Conſtitutione non obſeruauerit, ex nunc eum, à Præſidis Prouinciæ officio, ipſofacto abſolutum eſſe declaramus: & Prouinciæ Præſidē eſſe ſtatuimus Miniſtrū Domus, vbi Capitulū Prouinciale celebratur, non impeditū, vel eo impedito, aliū Miniſtrū Antiquioris domus, ſimiliter non impeditū: non obſtante quod in Procemio harum Conſtitutionum dictum eſt, ſcilicet, requiri

ſpecialem declarationẽ per ſenten-tiam, hanc enim declarationẽ, quã hîc facimus, ſententiã eſſe volumus. Qui etiam Miniſter hæc ſeruare tenebitur ſub eàdem pœna: & ſi rerũ euẽtus poſtulauerit, eàdem ſeruata forma, reliqui miniſtri ſuccedant.

## *Caput Quintum. De Confirmatione Patris Prouincialis.*

§. 1. POſtquàm tranſacto tempore peremptorio Præſes Prouinciæ & Scrutatores (modo ſuprà dicto) noui P. Prouincialis electionem, ratam, & legitimam eſſe declarauerint: quã-primũ Præſes Prouinciæ omnia præ parari iubeat, quæ neceſſaria fuerint, ad Cõfirmationẽ P. Prouincialis, in qua talis ordo obſeruabitur.

In primis fores Eccleſiæ reſerari debent, deinde facto ſigno cum Cāpana, omnes Religioſi ſuis cappis induti, in Sacriſtiam cōueniant, indeq́ue proceſsionaliter præcedente Cruce, & duobus Acolythis cū candelabris, ad noui Prouincialis cellā cum ſilentio vadant, ad quam vbi primum peruenerint, P. Prouincialis de nouo Electus ſua Cappa alba indutus foras exeat, & fiat ꝓceſsio (vt moris eſt) vſque ad Capellam maiorem, & ſtatim Cantores incipiant, decantare, Te Deum laudamus, quod fratres omnes alternis modulis proſequantur, & interim dū proceſsio fit, vnum Cymbalum pulſetur: & P. Prouincialis in extrema parte proceſsionis ſubſequatur: Præſes verò Prouinciæ ſit in Sacriſtia ſuperpelliceo, ſtola, & pretioſiori pluuiali indutus, vt quando Conuentus, per Sacriſtiæ fores progreſſus fuerit, inde exeat, & in extrema

 parte

parte proceſsionis, ad dexterum latus procedat, nouus autem P. Prouincialis, ad eius ſiniſtrum latus: & vbi proceſsio ad Capellam maiorẽ peruenerit, eodem loco, & ordine ſeruato, vſque ad finem Cantici, Te Deum laudamus, vterque ſtet: quo finito Præſes Prouinciæ, & nouus P. Prouincialis ad dexteram partẽ altaris, prope cornu Euangelij vadãt, ibique genua flectant, & Præſes Prouinciæ ſurgat, & ſedeat in Sella ibidem præparata, verſus populum: nouus vero, P. Prouincialis genibus flexis maneat, vſque ad finem confirmationis, quam Præſes hoc pacto incipiet. Scilicet, clara voce à Patre Prouinciali obedientiam petat, eiq; iuramentum præſtet, ſuper Miſſale, in hunc modum. Promittit Paternitas tua, & iurat, per hæc ſancta Dei Euangelia, quod erit obediens Summo Pontifici, ac Reuerẽdiſsimo Patri noſtro Generali? & quod per te,

neque per Cõſtitutiones tuas, neq; per alios curabis te perpetuare in Officio Prouincialatus, ſed peracto tempore ordinario, relinques liberã Electionem, ſicut factum eſt? Ipſe P. Prouincialis reſpondeat: Promitto, & iuro: Tunc dictus Præſes adhuc ſedens dicat: Auctoritate Apoſtolica, qua fungor te cõfirmo in Prouincialem huius Prouinciæ Luſitaniæ, Ordinis ſanctiſsimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum, In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Sipiritus ſancti, ✠ Amen. Statimq́ue ſurgat, & clara voce incipiat Kyrie eleyſon, & Conuentus proſequatur, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon: Deinde Præſes clara voce dicat, Pater noſter, & ipſe & Conuẽtus ſecretò proſequãtur: quo finito rurſus eodem tono dicat: Et ne nos inducas in tentationem: Saluum fac ſeruum tuum Domine: Mitte ei Domine auxilium de ſancto: Eſto ei Domine turris for-

titudinis

titudinis: Domine exaudi orationem meam: Dominus vobiſcum: quibus omnibus Conuentus de more ſolito reſpondeat. Poſteà Præſes dicat, Oremus, & ſubſequentem Orationẽ. Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo Fr̃i N. Miniſtro Prouinciali noſtro, & dirige eum ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis æternæ, vt te donante, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat: & nos famulos tuos, & Ordinem noſtrum ab omni aduerſitate cuſtodi. Per Chriſtũ Dominum noſtrum. Reſp. Amen. Finita oratione ſurgat P. Prouincialis, & ſedeat in dicta Sella, & Pater qui erat Præſes, exuat Ornamenta, quibus erat indutus, ac ſtatim genu flexo, det obedientiam Patri Prouinciali, tradens ei Sigillum Prouinciæ, & librum Regulæ, & Conſtitutionum, & ſimili modò, cæteri ſucceſsiuè,

per

per ordinem, eius manum deoſculentur. Quibus peractis facto ſigno a P. Prouinciali omnes cum ſilentio ad Sacriſtiam reuertantur, & illicò in libro Prouinciæ huius electionis, & confirmationis fiat inſtrumẽtum ab Scrutatoribus ſubſignatum, qui liber in eodem loco Patri Prouinciali tradatur.

§. 2. Pater Prouincialis, intra duos mẽſes, teneatur, ad Reuerendiſsimum P. N. Generaliſsimum, ſuæ electionis Inſtrumentum mittere, ab ipſo, & prædictis Scrutatoribus ſubſcriptum, & Sigillo Prouinciæ ſubſignatũ, in quo tam ipſe, quam dicti Scrutatores nomine Prouinciæ cõfirmationem huius electionis petãt, & Titulum Prouincialis, ſimulque Vicarij Generalis huius noſtræ Prouinciæ in hunc modum.

§. 3. In nomine Sanctiſsimæ Trinitatis, Amẽ. Notum ſit omnibus, quòd Anno à Natiuitate Domini, N. die

verò

verò, N. menſis, N. celebratum fuit Capitulum Prouinciale huius Prouinciæ Portugalliæ, Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis, & Redēptionis Captiuorum, in noſtro Monaſterio Ciuitatis, N. vel Opidi, N. vbi per Patres Vocales dicti Capituli, ritè & laudabiliter iuxta formam noſtrorum Statutorum, electus fuit in Prouincialē eiuſdē Prouinciæ, R. P. Fr. N. ad eam gubernandam, per triennium, vſq; ad præfinitum tempus in Conſtitutionibus noſtris. Et quoniam habet omnia requiſita ad tale munus exercendum, Patres Capitulares eiuſdē Capituli, & nos nomine totius Prouinciæ, à Reuerendiſsima Paternitate tua, Maiori totius noſtri Ordinis Miniſtro Generaliſsimo, humiliter petimus, vt dictū R. P. F. N. in Miniſtrum Prouincialem, ſimulque Vicarium Generalem huius noſtri Ordinis, & Prouinciæ Portugalliæ, cōfirmare digneris: iam enim publicè iu-

ramen-

ramentum præſtitit obediendi Reuerendiſsimæ Paternitati tuæ, & nō ſe perpetuandi in dicto Officio, in quorũ fidẽ, & veritatis teſtimoniũ, nos Fr̃. N. & Fr̃. N. & Fr̃. N. dictæ Electionis Scrutatores, præſentes literas deſcribi fecimus à nobis ſubſignatas, & à dicto Patre Prouinciali de nouo electo, in eiſq; noſtræ Prouinciæ Sigillũ appoſuimus, dicto loco, menſe & anno. Fr̃. N. Prouincialis de nouo electus. Fr̃. N. Fr̃. N. & Fr̃. N. Scrutatores.

¶ *Tranſumptum Breuis Apoſtolici, ad Confirmationem P. Prouincialis de nouo electi.*

ALBERTVS Miſeratione diuina Tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem, S.R.E. Præſbyter Cardinalis, Ar-

chidux Auſtriæ, in Portuqalliæ, & Algarbiorum Regnis, cæteriſq; omnibus Prouinciis, ac Dominiis, Regnis præfatis, & eorum Regi ſubiectis, Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Sixti diuina prouidētia Papæ quinti, & ſedis Apoſtolicæ de latere Legatus, Reuerendis in Chriſto Patribus, Fratri Roccho de Spirituſancto, ad præſēs Cōmiſſario Generali, & Frī Ignatio de Annūciatione moderno M. Prouinciali Prouinciæ & Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis, & Redēptionis Captiuorū hui⁹ Regni Portugalliæ, ac dilectis in Chriſto Fratribus, Vincētio de S. Maria, Miniſtro Monaſterij eiuſdē Ordinis, Ciuitatis Vlyſsipponēſis, & Frī Paulo Cabral Theologo, oībus Religioſis eiuſdē Ordinis ꝓfeſsis, & dictæ Prouinciæ Definitoribus: Salutē in Dño ſempiternā. Oblatæ nobis, nuper pro veſtra, & dictæ Prouinciæ parte, petitiōis ſeries

con-

continebat, quod cum M. Generalis veſter, & totius Ordinis prædicti in Regno Galliæ reſidentiam ſuam faciat, & hoc Portugalliæ Regnum, Prouinciaq́ue veſtra, à loco, in quo dictus Miniſter Generalis commoratur, longe diſtet, & hac de cauſa plerunque multorum menſium tarditate differatur Confirmatio Miniſtri Prouincialis dictæ Prouinciæ, qui in Capitulo Prouinciali de triēnio in triennium celebrato, vt moris eſt, eligitur, & poſt illius electionem, ab eodem M. Generali confirmari debet, antequàm munere ſibi commiſſo fungatur, experientiaq́; doceat, quò ſæpenumerò, hoc temporis interuallo, Prouincia ipſa ob dictæ Confirmationis tarditatem, & defectum, non modicum in Spiritualibus, & Temporalibus, patitur detrimentum, & multa in Ordine oriuntur incommoda, vos modo zelo Religionis moti, eiuſdem Prouin-

ciæ

ciæ damnis, atque incommodis diligenter obuiare, atque eam ſemper omni ſublato impedimento optimè gubernari, & ſic in ea gratum Altiſſimo famulatum præſtari cupiētes, Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, quatenus indemnitati dictæ Prouinciæ conſulendo, vobis & veſtris ſucceſſoribus dicti Ordinis, & Prouinciæ Definitoribus, atque Religioſis, pro tempore exiſtentibus, vt poſtquàm Religioſus aliquis Præſbyter profeſſus dicti Ordinis in Capitulo Prouinciali, quod in fine cuiuslibet triennij celebratur, ſecundum Conſtitutiones, Statuta, & mores eiuſdem Ordinis, ac ſeruata forma Decretorum Sacri Concilij Tridentini, Canonicè electus fuerit, ſtatim à Miniſtro Prouinciali antiquo, cui ille tunc ſucceſſerit, vel eò abſente, à Commiſſario generali Prouinciæ, ſi in ea tunc aderit, aut ab eiuſdem Prouinciæ Præſidente, mu

nus Confirmationis, & facultatem neceſſariam ad regendum & gubernandum, in Spiritualibus, ac Temporalibus, Prouinciam ipſam accipiat, donec à Miniſtro Generali debitam Confirmationem obtineat, concedere, & indulgere, atque aliâs in præmiſsis oportunè prouidere, benignè dignaremur. Nos igitur, qui ad infra ſcripta per literas Apoſtolicas, ad quarum inſertionem nō tenemur, ſufficienti facultate muniti ſumus, quique diſciplinæ regularis obſeruantiam, vbi viget, conſeruari, & Religionis incōmoda, quantum cum Deo poſſumus, libēter euitare cupimus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis attentis narratis, & ſucceſſoribus veſtris, eiuſdem Ordinis & Prouinciæ Definitoribus, ac Religioſis, pro tēpore exiſtētibus, vt Religioſus Præſbyter profeſſus dicti Ordinis, qui de cætero in Capitulo Prouinciali, de trien

triennio in trienniũ celebrando, ſecundũ Cõſtitutiones, Statuta, & mores eiuſdẽ Ordinis & Prouinciæ, atque aliâs ſeruata forma Decretorũ Sacri Concilij Tridentini, Miniſter Prouincialis dictæ Prouinciæ Canonicè electus fuerit, continuò, ſecuta electione per Miniſtrum Prouincialem antiquum, cui ipſe immediatè ſucceſſerit, vel eodem abſente Miniſtro antiquo, per Cõmiſſariũ Generalẽ Prouinciæ (ſi munus hoc Religioſus aliquis tunc tẽporis obeat) aut per eiuſdẽ Prouinciæ Præſidentem confirmari, ac ad regendum, & gubernandum in omnibus, & per omnia Prouinciam ipſam, idoneus, & habilis reddi, atque declarari poſsit, ipſique quòd deinceps, vigore Confirmationis huiuſmodi, impoſitum ſibi officium, vt ſuprà, exercere valeat, donec Miniſter Generalis totius Ordinis prædicti, Electionem ſuam con-

firmet, aut reuocet, Auctoritate Apoſtolica præſentium, licentiam, & omnimodam facultatem concedimus, & indulgemus, in contrariũ facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Volumus autem & decernimus, quòd Miniſter Prouincialis nouiter, vt præfertur, electus & ſic confirmatus infra duos menſes, à die Electionis, & Confirmationis huiuſmodi computandos, Miniſtrum eius Generalẽ de Electione ſua certiorem reddere, & ab eo Confirmationem requiſitam Cõſtitutionibus & Statutis, ac moribus Ordinis inhærẽdo, petere omnino teneatur, alioquin Confirmatio, vt ſupra, vigore præſentis indulti facta, & inde ſecuta, quæcunque nullius penitus ſint roboris, vel momenti. Datum Vlixbonæ, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo, Quingenteſimo, Octoageſimoquinto, ſeptimo Idus Ianuarij, Pontificatus prædicti Sanctiſſi-

ctiſsimi Domini noſtri Papæ, Anno Primo.

Alb. Card. Leg.
Reg. lib. 3. fol. 4.

## *Caput Sextum. De poteſtate Patris Prouincialis, & de modo ſe habendi in Capitulo Prouinciali.*

VBI primũ Pater Prouincialis, modo ſupra dicto, cõfirmatus fuerit, protinus plenam totiùs Prouinciæ curam gerere incipiat, tam in ſpiritualibus, quàm in corporalibus, & illicò omnia Miniſtrorum noſtri Ordinis Officia ceſſabunt, eodemque die dictæ ſuæ Confirmationis (ſi poſsibile fuerit) alioquin, cum primum potuerit, cum reliquis Vocalibus procedat ad Electionem Miniſtri Domus, in qua Capitulum Prouinciale cele- §. 1.

bratur, & ſimiliter reliquorum Miniſtrorũ (ſeruato ordine ſupra dicto) poſt Miniſtrorum Electionẽ, & Confirmationem, ſtatim ab iiſdem Vocalibus (modo aſsignato) Definitores Prouinciæ eligantur.

§. 2. Sequenti Feria ſecunda, poſt dictam Dominicam in Cantate, Pater Prouincialis Miſſam diei pro fratribus defunctis ſolemniter decantari iubeat, & conſuetam pro illis proceſsionaliter fieri abſolutionem, quibus omnes Capitulares aſsiſtant, & eodem die pro iiſdem Miſſam celebrent: ſed ſi hic dies feſto adeò ſolemni fuerit impeditus, vt in eo hæc fieri nequeant, Miſſa maior illius feſti, pro iiſdem fratribus dicatur, & ſimiliter Capitulares pro iiſdem celebrent.

§. 3. Pater Prouincialis extra Capitulum Prouinciale (quando ſibi viſum fuerit) de Definitorum Prouinciæ conſilio, & aſſenſu, definiat

res graues, & maximè vrgentes, quæ euenerint: ſi verò aliquid acci derit, prope tempus Capituli Prouincialis, ad idem differatur.

In rebus omnibus, & in quolibet noſtri Ordinis Monaſterio vbi Pater Prouincialis præſens fuerit, ſuum poterit proferre ſuffragium, excepta Electione Procuratoris, mittendi ad Capitulum Prouinciale, & Electorum dicti Capituli, vt iam ſupra diximus: in his enim electionibus, ſolum in domo vbi Capitulum Prouinciale celebratur, votũ emittere poteſt. §. 4.

Præcipimus & ordinamus, quòd Pater Prouincialis, ſemel in quolibet anno, ſimul cum Viſitatoribus, (quorum vnum aſſummat in Scribam) teneatur Prouinciam viſitare. Et in prima Viſitatione in tota Prouincia inquirat de officio & perſona Patris Prouincialis præteriti, §. 5.

habito tamen reſpectu tánti muneris & laboris.

§. Pater Prouincialis non poterit Nouitij habitum alicui concedere, neque eum ad profeſsionem admittere, ſine conſenſu maioris partis Conuentus (modo ſupra expoſito) neq; aliquid in Cenſum, Feudũ, ſeu Emphyteuſim dare valebit, vel aliquid magni pretij cõmutare, vel largiri, ſine aſsẽſu vocaliter exhibito à maiori parte Capituli Conuẽtualis.

§.7. In rebus omnibus in Capitulo propoſitis (exceptis Electionibus) ſi Vota fuerint æqualia, pars illa obtineat, pro qua P. Prouincialis ſuum protulit ſuffragium, qui auctoritate propria neque noſtrarum Conſtitutionum decreta, neque Ordinationes Capituli Prouincialis infringere poterit. Idem etiam P. Prouincialis aliquod ædificium non cõſtruat, cuius ſumptus valorem quinquaginta aureorum excedat, ſine conſenſu

maio-

maioris partis Capituli Conuentualis, ſed diruta ædificia, in priſtinum ſtatum reſtaurare, & erigere queat. Si verò Pater Prouincialis propria induſtria aliquid acquiſiuerit non proueniens, ex redditibus Prouinciæ, vel Monaſteriorum, illud in rebus vtilibus Prouinciæ, vel alicui Monaſterio noſtro liberè expendere poterit.

Quoniam ſecundum iuris integritatem, nemo poteſt eſſe iudex in cauſa propria, ſtatuimus, & præcipimus, quòd in dictis, vel factis, cõtra Patrem Prouincialẽ, ſi fuerint magni põderis & momenti, & in quibus eius fama notabiliter periclitetur, Pater Prouincialis iudex eſſe non poſsit, ſed hæc potius iudicẽt, & puniant tres Definitores, qui præcedant. Si autem aliquid horum contra quemcunque alium Prælatum commiſſum fuerit, tunc erit iudex (extra Viſitationis tempus) P. Pro- §.8.

uincialis, cum duobus Definitoribus qui præcedant, in ipſo verò viſitationis tempore, P. Prouincialis ſimul cum Viſitatoribus: ſi verò aliquid huiuſmodi contra alterum ex Viſitatoribus, vel vtrunq; perpetratũ fuerit, erit iudex P. Prouincialis, & loco vnius Viſitatoris, vnum Definitorem, & loco vtriuſq; duos Definitores iudices acceſſores ſibi aſſociabit.

§. 9. Ordinamus & præcipimus, quòd in domo noſtra Conimbricenſi, nullus pupillus, neq; alius ſcholaſticus cuiuſcunque conditionis inhabitet, neq; P. Prouincialis talem facultatẽ concedere poſsit: quod inuiolabiliter obſeruari iubemus, ſub pœna grauioris culpæ.

§. 10. Pater Prouincialis ſimul cum Definitoribus, de vita, moribus, & ſcientia examinet eos, qui confeſsiones laicorum, vel Religioſorum, totius Prouinciæ audire debent, & qui ad talia

talia munera idonei inuẽti fuerint, literas aprobationis, ab iiſdem ſubſcriptas accipiant. Item, Patres qui Prouinciales fuerunt, omnibus priuilegiis Præſentatorum fruantur.

P. Prouincialis nullos redditus Pro §. 11.
uinciæ exigat, & quos hactenus exigebat Domui noſtri Vlyſsiponenſi tribuimus & incorporamus: & Miniſter huius Domus centum aureos ſingulis annis dicto P. Prouinciali, ad ſui, & Viſitatorum ſumptus largiatur.

## ¶ *Caput Septimum. Quo pacto Prælati, & Definitores creandi ſint, quando à ſuis officiis ante triennium completum vacauerint.*

SI acciderit, quòd P. §. 1.
Prouincialis, quauis ex cauſa ad Capitulũ Prouinciale nõ veniat in dicto Capitulo

eius

eius loco præſideat Miniſter domus vbi Capitulum eſt celebrandum, & in huius abſentia, Miniſter antiquioris domus non impeditus, qui ibi inuētus fuerit. Ita tamen, quòd ſi ante dimidium temporis ſui Prouincialatus Pater Prouincialis è vita diſceſſerit, vel quocunque alio modo, officium ſuum finierit, prædictus Miniſter domus, in qua Capitulum Prouinciale celebrari debet, Prouinciā in Temporalibus, & Spiritualibus, ſub nomine Præſidis gubernet, & regat, & in eius abſentia alius Mininiſter non impeditus domus antiquioris: dummodò tamē intra duos menſes dictus Præſes conuocet ad electionem Patris Prouincialis omnes Vocales Capituli Prouincialis præteriti in hoc Regno commorantes, & intra idem tempus fiat Prouincialis electio, ordine ſupra aſsignato, & cum eodem numero Vocaliū. P. Prouincialis ita electus à dicto

Præſide (iuxta ordinem ſupra traditum) confirmetur, & intra duos mẽſes à Reuerendiſsimo G. noſtro confirmationem petere teneatur: eius tamen officium vſque ad Capitulũ Prouinciale proximè futurum, ſolũ durabit. Reliqui verò Prælati ſua munera exerceant, vſque ad dictũ Capitulum futurum. Qui ita Electus fuerit in Prouincialem, ſi alicuius domus erat Miniſter, ſtatim ceſſet ab executione ſuæ adminiſtrationis, & alius Miniſter eius loco ab iiſdem Vocalibus per ſecretũ Scrutinium conſtituatur.

Præſes, qui intra duos mẽſes Prouincialis Electionem non fecerit, neque eius Confirmationem ritè celebrauerit, ſit ipſofacto, ab officio Præſidis Prouinciæ priuatus, & ex nunc per vim huius Conſtitutionis Præſidẽ Prouinciæ eſſe declaramus, aliũ Miniſtrum domus antiquioris, non impeditum, non obſtante, quòd in §. 2.

Proœ-

Prooemio harum Conſtitutionum dictum eſt, ſcilicet requiri ſpecialẽ declarationem, per ſententiam, hãc enim declarationem, quam hîc facimus, volumus eſſe ſentẽtiam. Qui etiam Miniſter hæc obſeruare tenebitur ſub eadem pœna, & ſi rerum euentus poſtulauerit, eadem ſeruata forma, reliqui Miniſtri ſuccedant.

§. 3. Si verò P. Prouincialis diem ſuũ obierit, poſt dimidium temporis ſui officij, vel quouis alio modo impeditus, illud exercere nequeat, tunc eadem poteſtate totius Prouinciæ plenam curam habeat Miniſter domus vbi Capitulum Prouinciale proximè futurum fuerit aſsignatum. Et ſi hic Miniſter impeditus fuerit, alius Miniſter antiquioris domus, non impeditus, eius loco ſuccedat.

§. 4. Si autem contigerit, quòd è vita diſcedat Miniſter Vlyſsipponenſis, vel

vel Santarenenſis, aut ex quacunque cauſa alter eorum ab adminiſtratione vacet, in qualibet harum domorũ Miniſter eligatur via Scrutinij ſecreti, per Patrem Prouincialem, atque per Vocales Capituli Prouincialis, qui tempore vacationis ibidem habitatores fuerint, & per Definitores Prouinciæ, atque per Miniſtros aliorum Conuentuũ huius Regni,& per Miniſtrum Ceptenſem (ſi forte tunc in hoc Regno extiterit.) Si verò cuiusuis alterius Monaſterij, Miniſter à ſuo Officio, quouismodo vacauerit, eius Electio fiat in Conuentu Vlyſsipponenſi (modò hîc ſupra expoſito) & iſtarum omnium Electionum erunt Scrutatores, Pater Prouincialis, & duo Miniſtri, qui alios præceſſerint, & in eorum abſentia, vnus, vel duo Definitores antiquiores à ſuſceptione habitus.

Quo-

Quorum Miniſtrorum munus ſolũ vſque ad Capitulum Prouinciale futurum durabit. Si verò dicto modò intra ſpatium vnius anni ante Capitulum Prouiuciale aliquis Miniſter à ſuo officio vacauerit, tũc eius Vicarius plenam curam domus gerat, vſque ad Capitulum Prouinciale, ad quod, loco ipſius Miniſtri veniat, & Pater Prouincialis in eius abſentia in eodem Monaſterio Præſidem conſtituat. Si autem dictus Vicarius ante Capitulum Prouinciale aliquo modo vacauerit, P. Prouincialis eius loco Præſidem conſtituat, qui ad dictum Capitulum veniat. Vicarius autem, ſiue Præſes, qui durante Capitulo Prouinciali, quamlibet domum noſtræ Prouinciæ gubernauerit, in dicto Capitulo in Miniſtrum ipſius domus eligi poterit.

§. 5. Præcipimus & ordinamus, quòd ſi aliquis Prouincialis, vel Præſes

Pro-

Prouinciæ, vſq; ad Capitulum Prouinciale, per quoduis temporis ſpatium Prouinciam gubernauerit, in dicto Capitulo in Prouincialem nequaquam eligi poſsit. Miniſter etiã, Vicarius, ſeu Præſes, qui vſque ad Capitulum Prouinciale domum aliquam gubernauerit per quodcunque tempus, & ad Capitulum Prouinciale venerit, in domo ſuæ Adminiſtrationis, Vicariatus, vel Præſidentiæ, iterum in Miniſtrũ, ſeu Vicarium eiuſdem domus, in dicto Capitulo eligi minimè poterit.

§. 6. Si aliquis Definitor, quacunque de cauſa vacauerit, vel extra hoc Regnum, aut in Africam profectus fuerit, P. Prouincialis, & reliqui Definitores, eius loco per ſecretũ Scrutinium alium conſtituant. Sed ſi Definitor vocatus à P. Prouinciali, ſiue Præſide Prouinciæ, in tempore aſsignato, quacunque de cauſa non venerit, Pater Prouincialis, cum

aliis efficere poterit, ſine ipſo, omnia, quæ cum eodem præſtanda erant.

§. 7. Si intra ſpatium vniùs anni ante Capitulum Prouinciale, aliquis Miniſter domus, quæ Vicarium non habet, à ſuo officio quouismodo vacauerit: tunc Pater Prouincialis Præſidem ibi conſtituat, qui ipſam gubernet, & loco Miniſtri ad Capitulum Prouinciale veniat. Si aliquis Definitor non Prælatus (caſu aliquo) in Miniſtrum, vel Prouincialem electus fuerit, protinus ab officio Definitoris ceſſabit, & ipſius loco alius ſubrogetur, modo expoſito in §. præcedenti.

## ¶ *Caput Octauum. De Definitoribus Prouinciæ.*

*In*

IN hac noſtra Prouin §. 1.
cia ſint quatuor Defi
nitores, qui omnes
(modo & ordine ſu-
pra expoſito) eligi de
bent, quorum adminus duo nõ ſint
Prælati. Eorum munus erit ſimul cũ
P. Prouinciali Definitiones ordina-
re, & conſtituere quod ſibi viſum
fuerit, & omnia quæ in Capitulo
Prouinciali præſtanda ſunt confice-
re: ea tamen intra octo dierum ſpa
tium facere tenebuntur, qui dies
computandi ſunt ab illo, in quo hæc
peragi cæperunt. His finitis amplius
Definitorum munus non exerceãt,
ſed deinceps maneãt tanquàm Con
ſiliarij P. Prouincialis, illiq́ue conſi-
lium præbeant in omnibus rebus,
quæ in his Cõſtitutionibus declarã-
tur, & in reliquis in quibus eorum
conſilium fuerit petitum.

Hi Definitores res graues, & magni §. 2.
põderis quæ in Prouincia cõtigerint

ſimul cum P. Prouinciali iudicabũt. In ferendis ſuffragiis, Definitores qui fuerint Prælati, ſeruato ordine domorum ſuarum primũ vota emittant, dummodo inter eoſdem nõ ſit Miniſter domus, in qua hæc fiunt, quia hic ſemper primò ſuum Votũ proferre debet. Prædicti Definitores illis octo diebus ſeſsionem habebunt in omnibus locis immediatè poſt Miniſtrum domus, vbi Capitulum Prouinciale celebratur. Nullam autem Conſtitutionẽ poterunt efficere, niſi modo aſsignato in Prologo primi libri, §. 2.

§. 3. Vbi primum fuerint factæ omnes electiones Capituli Prouincialis, P. Prouincialis protinus Definitoribus, aſsignet locum & horam, in qua ad ſuum munus obeundũ conuenire debeant, ſignabitque vnum ex ipſis, qui in Definitorio ſit à ſecretis, qui ibidem, quæ neceſſaria fuerint, deſcribat: notabit etiam aliquẽ fra-

ſratrem pro ianua Definitorij.

Cum P. Prouincialis, & Defini- §. 4.
tores congregati fuerint, nullus ſine
licentia & neceſsitate vrgēte, è De-
finitorio exeat, egreſſus non diſcur-
rat, ſed completa neceſsitate, citius
in eandem domum reuertatur. Vo-
centur Miniſtri præteriti, & Defini-
tores ab illis exigant inſtrumenta,
quæ tenentur afferre, ab Scriba Cō
uentus facta, & ab eodem, & à Con
ſiliariis ſubſignata, quibus declare-
tur quantitas nummi, tritici, hordei,
olei, & vini, ac cæterorum, quæ ad
prouiſionem domus reliquerunt.
Qui ſi domos prouiſas non reliquerint,
de tritico, hordeo, vino, & oleo,
vſque ad nouos harum rerum fru-
ctus, iuxta incuriæ grauitatem, ad
Definitorum arbitriū emendentur.
Domorum etiam Procuratores, ad
Definitorium venire iubeant, vbi
ſuas Procurationes, & Petitiones
exhibeant, vt inſpiciantur: diligen-

terq́ue Definitores omnium Fratrū conſolationem curent.

5. Definitores teneantur maximè vigilare, vt noſtræ hæ Conſtitutiones inuiolabiliter obſeruentur, in omnibusq́ue P. Prouincialis, cum ipſis prouideat, quidquid bono & vtilitati Ordinis, animarumq́ue ſaluti, viſum fuerit, expedire: prohibemus tamen, & ſtrictè mandamus, ne P. Prouincialis, Definitoribus, aut Definitores Patri Prouinciali, ſuis Definitionibus præiuditium aliquod inferre audeant: quòd ſi intentauerint, in Capitulo proximè futuro, grauiter puniantur.

§. 6. Volumus inſuper, & ordinamus, quòd in libro Prouinciæ ſcribantur, quæ in Capitulo Prouinciali ſancita fuerunt: quis ad Prouincialatus officium aſſumptus fuit, qui etiam Miniſtri & Definitores, fuerunt creati, ſcribantur quoque

eiuſdem

eiuſdem Capituli acta, & Prædicatores, Confeſſores, ac Lectores, qui in dicto Capitulo aſsignati fuerunt: quorum aſsignatio (quæ præuio examine de ſcientia, vita & moribus fieri debet) durante Capitulo ad Patrem Prouincialem, & Definitores ſpectat: illo verò finito, ad Patrem Prouincialem, ſimul cum Definitoribus Prouinciæ.

Definitiones Capituli Prouincialis, & quidquid Spirituſancto donante, Capitulum ordinauerit, tranſacto octauo die, protinus eius Scriba publicet in Capitulo Conuentuali eiuſdem domus, coram omnibus: quæ omnia omnes vnanimiter, & deuotè ſuſcipiant, nullus reclamet, nullus contradicat: in cuius publicationis fine, omnes Fratres genibus flexis, generalem confeſsionem faciant, dicentes, Confiteor Deo, & cætera: qua finita, Pater Prouincialis, dicat, §.7.

¶ Miſereatur veſtri omnipotẽs Deus, & dimiſsis omnibus peccatis veſtris perducat vos in vitam æternã. Reſp. Amen. Indulgentiam, abſolutionem, & remiſsionem omniũ peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotẽs & miſericors Dominus. Reſpon. Amen. Si tenemini aliquo vinculo, vel aliquibus vinculis excõmunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti (in quantum ſe extendunt gratiæ, & priuilegia, Ordini noſtro indulta, mihi commiſſa, & vobis conceſſa) ego vos abſoluo, & reſtituo vos ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, Communioni, & vnitati Fidelium. In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ſancti ✠. Amen. Item, eadem auctoritate, ego diſpenſo vobiſcum ſuper irregularitate, vel irregularitatibus, ſiquam, vel ſi quas contraxiſtis, & habilito vos executioni Ordinum, & Officiorum veſtrorum. Itẽ, eadẽ auctoritate, ego vos abſoluo,

ab

ab omni tranſgreſsione Regulæ, & Ordinationum, & Conſtitutionum, & Admonitionum maiorum veſtrorum, & ab omni pœnitentia oblita, & neglecta, & maximè à pœna quæ debetur, propter fractionẽ ſilentij, & ab omnibus aliis, de quibus conſueuit fieri abſolutio, in cõſimilibus Capitulis, vel ſolemnitatibus, vt ſitis abſoluti, hîc, & ante Tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, habeatisq́; vitam æternam, & viuatis in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

His peractis, ſtatim omnes Religioſi proceſsionaliter, exeant à Capitulo, præcedente Cruce, & duobus Acolythis cum candelabris, & Cãtores incipiãt decãtare Te Deũ laudamus, quòd idem ſimiliter Conuentus proſequatur, vſque ad Capellam maiorem, vbi finito Te Deũ laudamus, dicant Antiphonã, ¶ Gratias tibi Deus, gratias tibi vera, & vna Trinitas: vna & ſumma Deitas, §. 8.

Sancta & vna Vnitas: & Cantores Verſum, Benedicamus Patrem, & Filium, cum ſancto Spiritu: Conuentus verò reſpondeat, Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula. Statimque Pater Prouincialis ſtãs dicat, Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſsione veræ Fidei æternæ Trinitatis, gloriam agnoſcere, & in potentia Maieſtatis adorare Vnitatem, quæſumus, vt eiuſdem Fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

§. 9. Pater Prouincialis, & Definitores, in quolibet Capitulo Prouinciali, aſsignent domum, vbi futurum Capitulum Prouinciale eſt celebrandum.

## ¶ *Caput Nonum. De Miniſtri Conuentualis Electione, Confirmatione, & Poteſtate.*

IN quolibet Conuentu noſtræ Prouinciæ, ſit vnus Prælatus (qui inxta noſtram Regulã Miniſter vocabitur) cui omnes Religioſi tam in Spiritualibus, quàm in Corporalibus obedire teneantur, qui debet eſſe Præsbyter, & profeſſus in hac Prouincia, ac vir ſtudioſus, probus, & prudens, & adminus habeat duodecim annos à ſuſceptione habitus, ſitq́ electus modo ſupra aſſignato in Capite tertio, de Electionibus, libri tertij: & vt electus fuerit, ſi adſit, ſtatim Pater Prouincialis, & Scrutatores, eum ad Cellam ire iubeant: vnde non exeat, ſine eorum licentia, vſque ad completum tempus præciſum, & §. 1. Cap.1.n.1.

per-

peremptorium ab illis (pro eorũ arbitrio) aſsignatum, intra quod ipſi ſummariè, ſimpliciter, & de plano, examinent, & videant ſi eſt aliquid quod tali electioni contradicat, ob quod ſecundum ius, & noſtra Statuta, ipſam irritam & nullam fuiſſe, declarare debeãt: alioquin eam ſtatim validam, & legitimam eſſe exponant.

§. 2. Miniſter electus, illius domus vbi fuerit præſens Pater Prouincialis, ab eodem modo ſubſequenti, confirmabitur: vbi primum talis electio rata & legitima habita fuerit, facto ſigno cum campana omnes Religioſi ſine Cappis in Sacriſtiã conueniant, indeque proceſsionaliter præcedẽte Cruce, & duobus Acolythis cum candelabris, ad noui Miniſtri Cellã cum ſilentio pergant, ad quàm vbi primum acceſſerint, Miniſter nouiter electus, ſua Cappa alba indutus, foras exeat, & fiat proceſsio vſque

ad Chorũm, & ſtatim Cantores incipiant decantare Te Deum laudamus, quod Fratres ſimiliter proſequantur, & interim dum fit proceſſio, vnum Cymbalum pulſetur, & P. Prouincialis, in extrema parte dextera Conuentus ſubſequatur: Miniſter verò cõfirmandus in ſiniſtra, & vbi in Chorum fuerint ingreſsi, eodem loco, ordineq; ſeruato ſtabũt, donec finiatur Canticum, in cuius fine P. Prouincialis Superpelliceo, Stola, & pretioſo Pluuiali indutus, ſedeat, & Miniſter ante eum genua flectat, dicatque P. Prouincialis ſedens: Ego te confirmo in Miniſtrum huius noſtri Monaſterij Sãctiſsimæ Trinitatis N. In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ſancti ✠, Amen. Et tradat illi Sigillum domus, ſtatimque ſurgat, & dicat Pater noſter & cæt. quæ habentur in confirmatione Patris Prouincialis, excepta Oratione dicenda in hunc modum,

Omni-

¶ Omnipotens ſempiterne Deus; miſerere famulo tuo Fratri N. Miniſtro huius noſtri Monaſterij N. & dirige eum ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis æternæ, vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat, & nos famulos tuos, & Ordinem noſtrum ab omni aduerſitate cuſtodi, per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſpon. Amen. Finita Oratione, ſedeat Pater Prouincialis, & Miniſter illius manum deoſculetur: deinde ſurgat, & ſedeat in ſuo loco, vbi reliqui Religioſi illi obedientiam præſtent, & Officiales claues omnium Officiorum ei humiliter tradant, quibus peractis, facto ſigno à Patre Prouinciali iterum ad Sacriſtiã cum ſilentio reuertantur.

§. 3. Vnumquemque Miniſtrum alterius cuiuſuis domus (ſi fuerit præſens) confirmabit Pater Prouin-

uincialis coram Vocalibus (poſt elapſum prædictum tempus peremptorium, & poſt declarationem eiuſdem legitimæ Electionis) per hæc verba. ¶ Ego te confirmo in Miniſtrum noſtri Monaſterij N. In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ſancti ✠. Amen. Et dum hæc Confirmatio fit, Pater Prouincialis ſedeat, & Miniſter ſit ante eũ genibus flexis, qua finita, eius manum deoſculetur.

Si verò abſens fuerit, per literas à Patre Prouinciali ſubſcriptas, & Sigillo Prouinciæ ſignatas confirmetur, in quibus hæc verba contineantur. ¶ Frater N. Prouincialis, ac Vicarius Generalis huius Prouinciæ Portugalliæ, Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis, & Redemptionis Captiuorum, Dilecto in Christo filio Fr̃i N. ſalutẽ, & Spiritus ſancti conſolationem. §. 4.

Notum

Notũ tibi ſit, quòd gratia deſuper irradiante diuina, iuxta noſtrarũ Conſtitutionum decreta, Patres Vocales te prædictum Fratrem N. elegerunt in Miniſtrum domus noſtræ N. & quoniam tranſacto tempore peremptorio, dicta Electio, rata & legitima fuit declarata, de tuaque prudentia, morum honeſtate, doctrina, ac Religionis zelo, plurimum in Domino confidimus, tenore præſentiũ te confirmo in Miniſtrum præfati Connentus, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Datum in domo noſtra N. die N. menſis N. Anno Incarnationis Dominicæ, & cætera.

§. 5. Miniſter præſens, quem P. Prouincialis confirmauit, antequàm in domum ſui Miniſtratus proficiſcatur, patentes literas ſuæ Confirmationis à Patre Prouinciali accipiat, quarum tenor erit ſubſequens. Fr. N. Prouincialis, & Vicarius Generalis

lis huius Prouinciæ Portugalliæ, Or dinis Sanctiſsimæ Trinitatis, & Redemptionis Captiuorum, chariſsimis in Chriſto filiis Vicario Fratri N. ſeu Præſidi Fratri N. & cæteris Fratribus noſtri Monaſterij N. ſalutem & Spiritus ſancti gratiam. Pateat vobis & vniuerſis, dilectum in Domino filium noſtrum Fratrẽ N. ſuperna diuini numinis aura fauente, per Patres Vocales electum fuiſſe in Miniſtrum noſtri Monaſterij N. virum idoneum, prudẽtia, & doctrina præditum, & de Religione bene meritum: quem ideò iuxta noſtrarum Conſtitutionum Statuta in Miniſtrum confirmauimus: quapropter vobis præcipimus, & in Domino adhortamur, vt illum in verum veſtrum Miniſtrum accipiatis, & tã in Spiritualibus, quàm in Corporalibus debitam illi obedientiam præſtetis: in cuius rei teſtimonium præſentes literas dedimus propria ma-

nu ſubſcriptas, & Prouinciæ Sigillo communitas. Datum in domo noſtra N. die N. menſis N. anno Incarnationis Dominicæ, & cætera.

Vbi primum Miniſter ad domum ſuæ adminiſtratiõis peruenerit, has prædictas literas præſentabit, & protinus ſolita & conſueta ſolemnitate à Vicario, vel Præſide Monaſterij, & Fratribus excipiatur, & ad Chorum proceſsionaliter deducatur, vbi Vicarius, ſeu Præſes, finito Cantico Te Deum laudamus, Preces, & Orationem dicat (modo ſupra expoſito) & tam ipſe, quàm alij, illi obedientiam exhibeant, Sigillumque & claues Monaſterij humiliter tradant, quibus peractis, ad Sacriſtiam cum ſilentio reuertantur.

§. 6. Cuiuslibet Miniſtri officium, vſque ad Capitulum Prouinciale futurum, & Confirmationem Patris Prouincialis, nouiter in eodem Capitulo

pitulo electi, tantum durabit. Eodem quoquè tempore, finiantur omnia officia, tam Fratrum Conuentualium, quàm commorantium in noſtris Villis. Et prædictus Miniſter in eadem domo reeligi minimè poterit: reliqui verò officiales maximè.

Miniſter, qui debitum contraxexit, vltra pretium viginti quinque aureorum, niſi prius in Capitulo Fratribus propoſuerit, vt cum eorum fiat conſilio, & aſſenſu, proyt in noſtra Apoſtolica Regula diſponitur, aut domum debitis obnoxiam, ſeu pignoratam, abſque Patris Prouincialis licentia in ſcriptis obtenta, & aſſenſu maioris partis Capituli, reliquerit, ab omni officio Ordinis per tres annos præciſè ſit priuatus: item ſub eadem pæna præcipimus, ne debitum notabile, vel magnæ quantitatis Miniſter dimittat, neque §. 7. Cap.7. nu. 35.

de nouo ædificium conſtruat, cuius ſumptus quinquaginta aureorum valorem excedat, ſine conſenſu ma
Reg.c. num.5. ioris partis Capituli, & Patris Prouincialis: poterit tamen quælibet ædificia diruta in ſtatum debitum reformare de conſilio Patris Prouincialis. Si verò Miniſter propria induſtria aliquid acquiſiuerit, non proueniens ex redditibus Domus, illud in rebus ad eandem domum vtilibus liberè expendere poterit.

§. 8. Prælatus poſsit in ſuo Conuentu excipere Fratrum conſanguineos, amicos, & familiares domus, vt ex ſumptibus Monaſterij prouideantur, ſolùm per octo dies, & vltra hos poterunt etiam ibidem commorari, & prouideri, per quindecim dierum ſpatium, quod tamen fiat de aſſenſu Conſiliariorum, nullus verò hoſpes intra Clauſtrum, vel in Dormitorio inhabitet, exceptis Religioſis.

§. 9. Ordinamus, quòd omne illud,

quod viſum, deliberatum, & ſtabilitum in Capitulo Prouinciali fuerit, Miniſtri deſcribi faciant, & ad ſuos Conuentus deferant, vel mittant, vt ibidē publicari & obſeruari faciant, maximè q; ſoliciti ſint, vt Anniuerſariorum, Miſſarumque obligationes, diligenter adimpleantur.

Quilibet Miniſter facultates ex- §. 10.
eundi extra Monaſterium cōcedat, dummodò in illis concedēdis, quindecim dierum ſpatium non excedat, in quibus ſi parum circūſpectus fuerit: admonitusque à Patre Prouinciali non ſe emendauerit, idem Pater Prouincialis, vt ſibi viſum fuerit, prædictas facultates limitet, & coarctet.

Miniſter non poterit recipere ali §. 11.
quem ad habitū Religionis, neque ad profeſsionem admittere, ſine Patris Prouincialis licentia, & aſſenſu maioris partis Capituli Conuentualis. In domo ſuæ adminiſtrationis

Religioſorum confeſſores non conſtituat, ſine conſenſu Patrum à conſiliis, poterit tamen iuſtis de cauſis alicui Religioſo, vt alteri confiteatur, facultatem concedere.

§. 12. Quando Miniſter alicuius domus per aliquot dies extra ipſam exire debet, prius in Capitulo id proponat, & ante eius exitum, & poſt reditum omnes Religioſi humiliter ab illo benedictionem accipiant: veruntamen ſine Patris Prouincialis licentia in aliquem locum, per longum temporis ſpatium non proficiſcatur.

§. 13. In rebus magni ponderis, & momenti, & quæ conſilio indigere viſæ fuerint, Miniſter Patres à conſiliis conſulat. In ſuffragiis, quæ ore proferũtur, ſit vltimus, qui ſuum iuditium ferat: & ſimpliciter, & veraciter in Capitulo res proponat, nullamq́ue in partem ſe propenſum oſtendat, niſi in his rebus, ex

qui-

quibus magnum aliquod commodum, vel detrimentum Ordini prouenire poterit: tunc enim quodlibet iſtorum Capitulo manifeſtare teneatur: in his quoquè rebus ſi vota æqualia fuerint, pars Miniſtri præualeat: omnia ſupra dicta Pater Prouincialis etiam obſeruabit.

§. 14. Quilibet Miniſter in primis duobus annis ſuæ adminiſtrationis ſingulis Religioſis profeſsis in ipſius domo commorantibus eodem tempore veſtiarium largiatur: ſi autem ante diſtributionem communis veſtiarij, aliquis Frater è ſuo Conuentu in alium diuerterit, ad ibidem habitandum, & in eodem Monaſterio veſtiarium iam conceſſum fuerit, quando in domo, ex qua profectus fuit, veſtiarium diſtribuendum fuerit, tunc etiam ipſi Religioſo id tribuatur. Miniſter, qui hoc non obſeruauerit, ipſofacto

ab officio abſoluatur, & voce paſsiua in futuro Capitulo Prouinciali priuatus maneat.

§. 15. Quilibet Religioſus, qui Miniſtratum alicuius domus pauperis, aut paruæ acceptare renuerit, per totum illud triennium, in alterius domus Miniſtrum eligi mininimè poſsit.

## ¶ *Caput Decimum. De Vicarij Conuentualis Electione, Confirmatione & Poteſtate.*

§. 1. INquolibet noſtri Ordinis Cōuētu (prout P. Prouinciali, & Definitoribus viſū fuerit) ſit vnus Vicarius qui eligi debet in Capitulo Prouinciali, per Scrutinium ſecretum à Patre Prouinciali & Definitoribus: extra hoc tempus, ſi caſu aliquo vacauerit,

rit, eius loco, eodem ſeruato modo, alius ab iiſdem conſtituatur. Huius electionis erunt Scrutatores Pater Prouincialis, & duo Definitores Prouinciæ, qui præcedant, talis verò electio fiat, iuxta ordinem traditum in Capit. 3. Electionum, lib. 3. prout ibidem habetur in §. 8.

Vbi primum Vicarij electio rata §. 2.
& legitima habita fuerit, à P. Prouinciali, & Scrutatoribus, ſi electus adſit, aduocetur, & ante Patrē Prouincialem genua flectat, qui ſedens coram Electoribus, eum confirmet per hæc verba, Ego te confirmo in Vicarium noſtri Monaſterij ſanctiſſimæ Trinitatis, Oppidi, vel Ciuitatis N. In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ſancti, ✠ Amen: qui ſtatim, Patris Prouincialis manum humiliter deoſculetur.

Si autē Vicarius nouiter electus, §. 3.
abſens fuerit, Pater Prouincialis, eius Cōfirmationem committat Mi

niſtro vel Præſidi Conuentus, vbi talis fuerit habitator: qui Miniſter vel Præſes ſedens, in conſpectu Fratrum illius domus, eum in hunc modum confirmet. Ego Frater N. Miniſter, ſeu Præſes huius Monaſterij ſanctiſsimæ Trinitatis Oppidi, vel Ciuitatis, N. auctoritate mihi conceſſa, à R. Patre noſtro Prouinciali, & Vicario Generali, Fratre N. te confirmo in Vicarium noſtri Monaſterij ſanctiſsimæ Trinitatis, Oppidi, vel Ciuitatis, N. In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ſancti. ✠ Amen.

§.4. Vicarij Officium durabit, quouſque Miniſter ipſius domus in Capitulo Prouinciali nouiter electus, & confirmatus, plenam ſui Conuĕtus curam accipiat, & in eadem domo reeligi minimè poterit.

§.5. Hic poſtquàm fuerit cõfirmatus, ea quæ ſibi conueniunt, notet, & obſeruet: Miniſtrum adiuuet cum omni

omni fidelitate, & inter ipſum & Conuentũ pacẽ ſemper procuret. Queruloſorũ, vel turbãtiũ alios, vel inobedientiũ, nõ ſe receptorẽ exhibeat: pro Fratribus, in licitis & honeſtis libenter apud Miniſtrũ intercedat. Ad eius officiũ pertinet oĩbus horis, tam diurnis, quàm nocturnis, Choro intereſſe, cõmuni mẽſæ nunquã deeſſe, & omnibus aliis obediẽtiis ante omnes adeſſe, vt ſi Miniſter (aliquibus negotiis occupatus) præſens non fuerit, eius vices gerat, tũc enim volumus, & præcipimus, vt ſicut Miniſtro ei obediatur: cum propter proceſsionẽ, vel funus, vel alios caſus emergẽtes fuerit cõuocãdus Cõuentus, debet de cõuocãdo ipſo & deducẽdo, ac reducẽdo, diligentẽ curã habere: & qđ nõ moretur inutiliter ſpectãdo ꝓcurare, ac etiã ꝓuidere, quod debito modo & hora cãpanæ pulſentur ab iis, quib⁹ incũbit & ſigna alia fiãt cõuocãdi Cõuentũ.

Ad

§.6. Ad eius etiam officium pertinet, obire loca Conuentus, & ſolicitè curare, quòd ſilentium locis & horis debitis obſeruetur: culpas ordinarias, leues, & manifeſtas, maximè in iuuenibus, in abſentia Miniſtri reprehendere, & corrigere, de grauioribus autem, Miniſtrum certiorē facere. Miniſtro in domo exiſtente poterit Vicarius præcipere Sacerdotibus, vt à vino abſtineant, & vt in Refectorio ſint genibus flexis, vſq; ad ſignum factum à Prælato ad comedendum, vtque in Capitulo ſuas culpas confiteantur, poterit etiam de eorundem culpis in Capitulo referre. Non Sacerdotibus verò poterit iniungere etiam quòd in terra comedant.

§.7. Cum Miniſter foras egreſſus fuerit, die ipſo reuerſurꝰ, plenā Miniſtri exerceat auctoritatem, Fratres tamen foras mittere non poterit, niſi magna neceſsitas occurrerit. At ſi

ad

ad loca remotiora profectus fuerit Miniſter, eodem die nõ reuerſurus, poterit Vicarius eius vicem in omnibus gerere. Cum igitur illius habeat auctoritatem, omnia quæ in noſtris Conſtitutionibus, Ordinationibus, Definitionibusq́ue, vel à quibuſcunque noſtri Ordinis ſuperioribus, præcepta, vel prohibita ſunt, vel fuerint, Miniſtris: ſibi etiam præcepta, vel prohibita eſſe intelligat: ſub iiſdem Conceſsionum, Præceptorum, Mandatorum, & Prohibitionum formis.

Debet etiam Vicarius in abſentia Miniſtri Conuentum in bono ſtatu conſueto conſeruare, & nihil immutare, nec nouitates introducere, neque aliquid magnum attentare (niſi fortè magna neceſsitas, vel euidens vtilitas hoc expoſcat) & tunc etiam hoc non faciat ſine cõſenſu Patrum à conſiliis. Non item emat, neque vendat, neque alias prouiſiones ex- §. 8.

traordinarias faciat, neque de ve-
ſtimentis prouideat: non aliquod
opus extruat, nec bona Miniſtri de-
functi diſtribuat, vel aliorum Fra-
trum defunctorum, ſed omnia in
cuſtodia habeat, quouſque Mini-
ſter in ſuam domum veniat, & de
omnibus illi rationem reddat, ac
etiam de ſtatu, in quo domus re-
manſit: debet etiam Vicarius in
abſentia Miniſtri Capitulum cum
Fratribus habere, præterea nota-
bilia, quæ in dicta abſentia emer-
ſerint, eidem Miniſtro referre de-
bet, licet fuerint correcta, dum-
modò non ſint ſecreta.

§.9. Vicarius à nullo alio proclame-
tur in Capitulo, niſi à Miniſtro;
neque à ſuo officio abſolui pote-
rit, niſi à Patre Prouinciali, & Vi-
ſitatoribus: poſt Vicarium domus,
alij Vicarij noſtrarum domorum,
pro earundem antiquitate ſeſsionẽ
habeant.

## ¶ Caput Vndecimum. De Viſitatorum Electione, eorumq́ Officio, & Poteſtate.

PAter Prouincialis ſemel in quolibet anno, cum duobus Viſitatoribus, Prouinciam viſitare teneatur, quorum electio ad hunc modũ fiat. Quando Pater Prouincialis noſtrum Monaſterium Sanctarenenſe, & alia vltra poſita, viſitare voluerit, prius in noſtro Cõuentu Vlyſsipponenſi per ſecretũ Scrutinium, & per Vocales ipſius Conuẽtus (modo ſupra expoſito in cap. 3. huius libri) duo Viſitatores ſigillatim eligãtur, qui ſimul cũ ipſo dicta Monaſteria viſitare poſsint: quãdo verò noſtrã domũ Vlyſsipponenſẽ, & alias citra Oppidũ Scalabẽſe vel trãs Tagũ poſitas in dicto Monaſterio Sanctarenenſi, duo Viſitatores eodẽ modo eligãtur §. 1.

qui

qui prædictas domos, ſimul cum ipſo viſitare poſsint: qui Viſitatores ex quacunque domo noſtræ Prouinciæ (excepto noſtro Conuentu Ceptenſi) eligi poſsint: qui ſint viri honeſti, prudentes, & Religionis zelo præditi, & habeant viginti annos à ſuſceptione habitus: quibus Electis, & à Patre Prouinciali & Scrutatoribus approbatis (ſi fuerint electi iuxta hanc noſtram Conſtitutionẽ) vt ſuum munus fideliter, & ſecundùm noſtra Statuta exerceant, nulloque vnquam tempore Viſitationum ſecreta reuelent, iuramentum præſtetur: & in domo quam viſitauerint, tantum vſq; ad Capitulum punitiuum, in prima menſa Refectorij, poſt Miniſtrum domus ſedeant, eandemque ſeſsionem in reliquis Congregationibus ſolũ eodem tempore habeant. In his verò Electionibus erunt Scrutatores, iidem qui ſunt in Electione Procuratoris mittendi

tendi ad Capitulum Prouinciale.

Ordinamus & mandamus, quòd §. 2.
cum ipſe Pater Prouincialis, vel eo impedito, aliquis ab eodem deputatus, ſimul cum Viſitatoribus, ad domos Ordinis viſitandas acceſſerit, reuerenter, & cum charitate à Miniſtro, in cuius domum declinauerint, excipiantur, eorumque victui, & viſitationi neceſſaria miniſtrētur, & hoſpitium, ſeu cellæ ita religioſè eis præparentur, vt nulla curioſitas ſæcularis in illis ſit: & poſtquàm in domum fuerint ingreſsi, omnes Fratres (præcipuè, qui ſub cuſtodia Magiſtri nouitiorum ſunt) ordinatim ad præſtandam obedientiam Patri Prouinciali accedant: qui protinus cum Viſitatoribus ſanctum & venerabile Euchariſtiæ Sacramentum ſuppliciter inuiſat, deinde verò infirmos, ſi qui in domo fuerint, charitatiuè viſitet: quæ obſeruabuntur, quotieſcunque Pater Prouincialis

in aliquam noſtræ Prouinciæ domũ fuerit ingreſſus.

§.3. Extra ſtatuta, & conſueta Viſitationum tempora, Pater Prouincialis, cum vno ex Definitoribus non Prælato, quādo ſibi viſum fuerit, ob res graues, pacemq́ue, & tranquillitatem religioſorum, quodlibet noſtri Ordinis monaſterium, ſeu totam Prouinciam viſitare poterit: tamen ſi per ſe viſitare non valuerit, alicui fratri ex religioſioribus, & antiquioribus vices ſuas committat, qui ſimul cum duobus Definitoribus non prælatis, quemlibet Cōuentum, ſeu Prouinciam viſitet. Quidquid emendandum inuenerint, puniendumvè, corrigant & puniant, prout qualitas culpæ exegerit, & conſcientia dictauerit: atque omnia illa, quæ facienda, reformanda, commonenda, puniendi, ſeu laudanda fuerint, ſecundum ſeriem iſtarum Conſtitutionũ, & Officij ſui, determinent.

Item

Itē ſi quid graue vel arduū emer- §.4.
ſerit, vtpote priuatio Miniſtri, vel
quid ſimile, Pater Prouincialis, quid
agendum ſit, determinet, conuoca-
tis quatuor Miniſtris, ſi commodè Regul. c. 8.
infra tres dietas à loco inueniri va- nu. 41.
leant, & ſi facilè inueniri nō poſsint,
aſſumptis ſecum tot Definitoribus
antiquioribus, qui non fuerint Mini
ſtri, quot abfuerint Miniſtri, qui o-
mnes iuxta tenorem Regulæ, & ha
rum Conſtitutionum quod opor-
tuerit, prudenter exequantur: ſuper
quibus omnibus caſtigandis, ſupra
dictorum cōſciencias maximè one
ramus, & nullus prædictorum, loco Conſtitutio
Miniſtri ab officio depoſiti ſubroge 20. Pij. iiij.
tur, vel eligi poſsit.

. Si quolibet viſitatiōis tēpore vnus §.5.
ex viſitatoribus legitimè impeditus
ſit adeò, vt P. Prouincialē comitari
nō valeat, eius loco ſuccedat Defini
tor antiquior, qui Miniſter, vel Vica
rius, aut Præſes alicuius domus non
fuerit,

§.6. Domum, vbi pluſquàm decẽ religioſi non habitauerint, Pater Prouincialis (in Viſitationibus etiam ordinariis) cum quolibet ex Viſitatoribus viſitare poſsit. Durante Viſitationis tempore, Pater Prouincialis, & Viſitatores auricularem Religioſorum confeſsionem audire non valebunt.

## ¶ *Caput* Duodecimum. *De modo Viſitandi.*

§.1. PRæcipimus & ordinamus, quòd in Viſitatione, ſeruetur hic modus, vt rectè, & prout decet, procedatur. Poſtquàm Pater Prouincialis, vel alius quiſpiam, loco eius, ad domũ aliquam viſitandã diuerterit, quando ei viſum fuerit, ad Capitulũ pulſari iubeat. Omnibus igitur in Ca-

pitulo congregatis ſui aduētus cauſam exponat, & quando Viſitatio inchoanda ſit, eis aperiat: breuemq; ad eos habeat ſermonem, ſpiritualibus admonitionibus plenū, in quo euidenter oſtendat, quantum oporteat, ipſum ſæpè hoc Viſitandi munus exercere: adhortetur etiam omnes fratres ad religionis obſeruantiam, virtutē, ſanctimoniam, Deiq; amorem & proximi charitatē. Egreſſis è capitulo nouitijs, illicò iubeat præteritæ Viſitationis literas perlegi, quæ literæ compendioſæ ſint & breues, & nihil in illis apponatur, ex his, quæ in noſtra ſacra Regula, Conſtitutionibus, Definitionibusvè cōtinentur: eoſdemq; charitatiuè admoneat, eiſq; in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiat, vt meram veritatem dicant, & ad mētem Patris Prouincialis, & Viſitatorum inquirentium, pluſquàm ad aliud intendant, & quod ſine vlla tergiuerſatione,

vel æquiuocatione clarè reſpondeant, neque odio, vel rancore addāt, neque fauore, affectionevè deminuant. Qui inhærentes præceptis Euangelicis, quid ſciuerint & emendatione dignum viſum fuerit, denūciare debēt, tam de Miniſtro, quàm de fratribus, & Monaſterij ſtatu: oppoſitum autem facientes animaduertant, quam magna ipſorum conſcientijs pernicies inde oriri poterit: & vltra hoc ſi conuicti fuerint, quā grauibus religionis pœnis debeant ſubiacere. Nullus alterius fratris peccatum occultum detegat, neq; dicat accuſando aliquid, quod probare nequeat, nam aliter pœnā ſubeat, quàm reus ſubiret, ſi conuinci potuiſſet, niſi ex cauſa cum eo diſpenſetur. De illis etiam, quæ probari poſſunt, nemo denuntiet, quin prius delinquentem benignè, & fraternè ſecundum legem Euangelicam corripiat: veruntamen ſi præ-

Reg. cap. 7. nu. 30.

Mat. cap. 18.

habita

habita fraterna correptione, aliquis viderit ſe parum, in admonitionibus profuiſſe, vel quòd reus, eum non audiuit, aut quòd non benè recipiet fraternam admonitionem, neque ea prodeſſe poterit, licet peccatum ſit occultum, illud tamen Patri Prouinciali tanquam Patri poterit reuelare vt ſecretò de remedio prouideat, prout ſaluti illius animæ, melius viderit expedire.

Durante Viſitationis tempore, omnes ſilentium obſeruent in his, quæ ad eandem pertinent, neq; minis, neque blãditijs ſe ſe mutuo perterrefaciant, aut alliciant, ſub pœna grauis culpæ. Item Prælatus eiuſdem domus eodem tempore facultates exeundi extra monaſterium fratribus non concedat, ſed ſi neceſsitas aliqua maxima interuenerit, Pater Prouincialis eas concedat: tunc etiam Oſtiarius & Sacriſta, quemlibet nuntium, lite- §. 2.

teras, vel munera, quæ ad fratres ipſius Monaſterij venerint, ad Patrem Prouincialem fideliter, & diligenter deferant.

§.3. Miniſter præparari faciat Sacriſtiam, quæ munda eſſe debet, ſicut & cætera loca viſitanda, & vbi hora ſtatuta aduenerit, Cymbalũ pulſetur, quo audito, omnes in Sacriſtiam ſuis cappis albis induti conueniant, & inde ad Capellam maiorem proceſsionaliter pergant, præcedente cruce, & duobus Acolythis cum candelabris, & thuriferario, & Pater Prouincialis, & Viſitatores pretioſioribus pluuialibus induti, in extrema proceſsionis parte ſubſequantur, vbi vero ad Capellam maiorem acceſſerint, omnes ante altare, hinc inde genua flectant: & Pater Prouincialis, & Viſitatores poſt breuem orationem ad locum, qui pro cuſtodia Sacroſancti Sacramenti eſt, aſcendant, & maxima, qua

decet,

decet, reuerentia, inde archam, in qua Sanctum corpus Chriſti Domini noſtri clauſum eſt, extrahant, omnibus fratribus cãtantibus Hymnum. Pangue lingua,&c. Quam archam Pater Prouincialis aperiat, & Sacratiſsimum corpus Domini thurificet, diligenterq́ue inſpiciat, ſi decenter ſit, & ſi apto, pretioſo, ac mundo loco habeatur, & pannis, corporalibusq́ue mundiſsimis inuolutum ſit: annotans omnia, quæ circa hoc venerabile Sacramentum, dum viſitatur, annotari debent, vt poſtmodum præcipiat, & corrigat, quidquid præcipiendum, aut corrigendum inuenerit: inſpecto reuerenter Sacramento, & fratribus oſtenſo, iterum illud thurificet, & in archa reponat, ſtatimq́ue dexterum, ac ſiniſtrum cornu altaris incenſet, & poſtea ad medium altaris perueniens genibus flexis Sacramentum thurificet, & in cuſto-

dia collocet. His finitis, duo Cantores dicant. Verſ. Panem de cœlo præſtitiſti eis, & Conuentus reſpondeat, Omne delectamẽtum in ſe habentẽ. Pater verò Prouincialis ſtans dicat, Orem⁹. ¶ Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſsionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue quæſumus, ita nos corporis, & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, vt redẽptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorũ. Et Conuentus reſpondeat. Amen. Finita Oratione, altare maius viſitent, num mappæ decentes ſint, atque mundæ: & inde deſcendentes lampadem viſitabũt, ſi munda ſit, ſi accenſa, ſi oleum habeat. Denique collateralia altaria viſitent, ſi ſint competenter ornata & munda, & ſi mappæ mundæ ſint: quibus peractis, ad Sacriſtiam proceſsionaliter cum ſilentio redeant.

Deinde

Deinde protinus Sacriſtiam vi- §. 4.
ſitare incipiant, per librum, quem Miniſter ex archa Depoſiti afferri præcipiat, in quo, ea, quæ in Sacriſtia habentur, ſcripta reperientur, & videant omnia ornamenta, num deminuta, an alienata ſint, & an in loco honeſto & decenti diligenter cuſtodiantur. Si quidquam defuerit, vel quia ſublatum, aut quia ſenio, & antiquitate confectum, expungatur: quidquid verò additum fuerit, in præfato libro ſcribi iubeant. Viſitent quoque vaſa aurea, & argentea, & omnem denique Sacriſtiæ theſaurum, & ſupellectilem, omniaque diligenter inſpiciant: vt poſtea laudanda laudent, & emendanda corrigant. Iuxta hunc ordinem reliquæ totius domus Officinæ viſitentur: videlicet, Refectorium, Coquina, Horreum, Cella vinaria, & Olearia, Infirmaria, Hoſpitium, & Hoſpitale,

vbi fuerit, libri qui in Choro deſeruiunt, communis Bibliotheca, & cellæ Fratrum, villæ etiam, ac poſſeſsiones.

## *Caput Decimum tertium. De Viſitatione Perſonarum.*

§. 1. POST ſupradicta Pater Prouincialis, & Viſitatores, Viſitationẽ perſonarum incipiãt, inquirentes prius, & interrogantes Miniſtrum de Fratribus: deinde verò ſuo ordine Fratres habitatores illius domus (qui habuerint quinque annos completos à ſuſceptione habitus) tam de Miniſtro, quàm de aliis Fratribus: reliqui verò religioſi, etiam ſi Sacris Ordinibus initiati ſint, non interrogentur, neque ad denuntiandum vocentur, niſi ſpecialiter referantur, aut

eorum teſtimonium ad alicuius rei probationem neceſſarium fuerit: ſi tamen habeant aliquid, quod ſecundùm Deũ denuntiare debeant, admitti poterunt. Nec facilè omni ſpiritui credatur, nec aliquis propter leuem præſumptionem, ſuſpitionemvè, aut parua inditia condemnetur, ſed ſeruata iuris forma, ſummariè, ſimpliciter, & de plano procedatur: quæ inquiſitio fiat in domo ad id præparata, vbi ſit mẽſa tapete ornata, in qua erit Crux, Miſſale, tintinabulum, & quæ neceſſaria fuerint ad ſcribendũ. Pro eiuſdem domus ianua ſit aliquis frater, qui alios vocet.

In quacunque Viſitatione, à nullo iuramentum exigatur, niſi præceſſerit delicti, aut perſonæ infamia ſufficiens, ſecundum ius, ad ſpecialiter de delicto, vel perſona inquirendũ: vel niſi denũtians, ſeu accuſans denuntiet de peccato mortali, tunc §. 2.

enim

enim ab ipſo denuntiante, vel accuſante iuramentum petendum eſt.

§. 3. In rebus grauioribus, ſi plena probatio fieri nõ poſsit per religioſos, tunc ſæculares teſtes adhibeantur, dummodo veriſimiliter cõſtet illos hoc ſcire poſſe, Pater verò Prouincialis, & Viſitatores non multũ temporis conſumant, in inquiſitione rerum parui momenti, & quæ frequẽter in Capitulo emendantur.

## ¶ *Caput Decimumquartum. De Interrogationibus à Miniſtro de fratribus.*

§. 1. PAER Prouincialis in Viſitatorum præſentia, ſic Miniſtrum de fratribus interroget. An Miniſter cognoſcat ſubditos eſſe deuotos, & horas Canonicas recitare, & ſi ſeruiunt

choro, ſi confitentur, & celebrant diebus ac locis ſtatutis?

An ſciat fratres inter ſe, vel cum ipſomet conueniſſe, ad non reuelandum ſecreta ſcelerum, per eos commiſſorum, & an nitantur bonos mores ſubuertere, atque Statuta, & reformationem Ordinis: aut peccata perpetrata in domo, non detegere, ne corrigantur? §. 2.

An ſciat ſubditos cuſtodire Regulam, & Cōſtitutiones, ac eſſentialia omnia, quæ ad obſeruātiā pertinēt? §. 3.

An ſint obedientes, & monaſticæ diſciplinæ obtemperantes, & interſe religioſè conuerſentur, & an tàm in Monaſterio, quàm extra illud bonum exemplum, Religioniſque ac honeſtatis ſpecimen præbeant? §. 4.

Si ſciat aliquē Religioſū eſſe notatū peccato in cōtinētiæ, vel qđ familiariter perſonā aliquā inuiſat, aut alloquatur, vnde euidēs ſcādalū oriatur? §. 5.

Si ſciat aliquid dicēdum ad domū, §. 6.

vel

vel eius honeſtatem pertinens, vel ad communitatem obſeruandam?

§.7. An Fratres reuelauerint ſecreta Ordinis, vel Capituli, aut procurauerint, exēptorias, vel fauorabiles literas?

§.8. An Fratres procurauerint, quòd aliqua noſtrarum Conſtitutionum infringatur, & non cuſtodiatur, vel cum aliquo illorum in aliquo diſpēſetur?

§.9. Hæ eædem Inquiſitiones proponantur ſingulis Fratribus, in communi de aliis, & in particulari de quolibet, ſi infamia præceſſerit, vt ſuperiori capite dictum eſt.

## *Caput Decimūquintū. De Interrogationibus à Fratribus de Miniſtro.*

§.1. Miniſter postquàm de Fratribus interrogatus fuerit, ipſi Fratres prius de Miniſtro, modo

do ſubſcripto, deinde verò de alijs fratribus, vt ſupra diximus, interrogentur. Si cognoſcunt Miniſtrum eſſe deuotum, ac ſi recitat horas omnes Canonicas, confitetur, & celebrat diebus, quibus tenetur?

Si interſit Choro cum fratribus ſuis, & præcipiat celebrari Officiũ diuinum die, nocteque fratres Choro adeſſe ac cæremonias obſeruari? §. 2.

Si diebus ſtatutis Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum renouatur, & ſi ſemper in honore, & reuerentia ſecundùm domus poſsibilitatẽ habetur? Et ſi eſt ei cura, de lampade Sacramenti, quòd inceſſanter ardeat, & ſit munda, & ornata & an circa hoc diligentiam adhibeat? §. 3.

An viuat in cõmunitate, & faciat omnes religioſos eandem obſeruare, & prouideat de omnibus neceſſarijs fratribus ſuis ſecundùm poſsibilitatem domus, & ſi diſponit de bonis illius de Conſilio fratrum ſuo- §. 4.

rum, ſicut ſtatutum eſt?

§.5. Si viuit honeſtè & Religiosè, verbis, exemplo, veſtitu, & calceamentis, ſicut tenetur?

§.6. Si habet Capitula cũ fratribus ſuis per Cõſtitutiones ordinata, & ſi eaſdẽ Conſtitutiones obſeruari faciat?

§.7. Si ſit conſpirator contra Ordinẽ, vel cõtra R. Generalem, aut Patrem Prouincialem, aut aliquem eorum infamauerit, vel ſecreta Religionis Laicis, ſeu allijs perſonis detexerit?

§.8. Si indebitè cum ſæcularbus bona Monaſterij conſumit, ac comedendo diſsipat?

§.9. Si bona Sacriſtiæ, aut Domus fideliter tractat, aut defraudat, vel ſi vendidit, aut alienauit aliquid Domus, vel pignori obligauit?

§.10. Si ſit ſæcularis in conuerſatione, aut diſſolutus, malũ exemplum laicis præbendo: ſi ſcit eſſe excommunicatum, ſuſpẽſum, interdictum, vel irregularem?

Si adhibet curam, quòd in Conuentu ſint Depoſitarij, & Officinarũ Clauigeri, & ſi redditur computum, prout in Conſtitutionibus continetur: vel ſi quamlibet earum rerum, faciat adimpleri, quæ continentur in Capitulo 10. lib. 2. harum Conſtitutionum? §. 11.

Si ſit notatus peccato incontinẽtiæ, vel fortè aliquam perſonam familiariter inuiſat, vel cũ ea ita colloquatur, vt inde manifeſtum ſcandalum proueniat? §. 12.

Si ſcit eſſe furioſum, iratum, blaſphemum, & peierantem? §. 13.

Si ſcit aliqua dicenda, quæ conueniant bono, & obſeruantiæ Religionis, ac vtilitati Domus? §. 14.

An Miniſter literas exẽptorias, aut fauorabiles procurauerit: & quòd aliqua noſtrarum Cõſtitutionum infringatur, & nõ cuſtodiatur: vel illam fregerit, vel cum aliquo in aliqua diſpenſauerit? §. 15.

§. 16. Vltimò Pater Prouincialis, & Viſitatores computationem Depoſiti, & aliarum Officinarum recipiant.

§. 17. Ordinamus, quòd Miniſter & fratres ad menſam Viſitationis vocati, in ſcamno iuxta eam ſedeant, quando verò res poſtulauerit, vt aliquis iuramẽtum accipiat, interim genua flectat.

§. 18. Si aliquis Religioſus alterius fratris peccatum mortale, vel grauem aliquam infamiam denuntiauerit, ab eo iuramentum exigatur, vtrùm odio, vel alicuius inductione commotus hoc faciat, & an ſit ei ſuſpectus, de quo denuntiat: & ſi iuramẽto affirmet, ſe nullo modo eſſe impeditum, quominus ſuum teſtimonium legitimè proferat, tunc ad denuntiandum admittatur, & quod dixerit ſcribatur, ab ipſoque ſubſignetur, & ſi accuſatoris perſonã agere voluerit, teſtes fide dignos proferre teneatur, quorum teſtimonio ſi pro-

probationem non fecerit, pœnam ſubeat, quam reus ſubiret, ſi conuinci potuiſſet, niſi Pater Prouincialis, & Viſitatores ex cauſa cum eo diſpenſare voluerint. Reg. ca nu. 30.

## ¶ *Caput Decimumſextum. De Emendandis & Puniendis culpis.*

POST Redditam omnium rerũ rationem, factamq́ue religioſorum inquiſitionẽ, ac cellarum ſcrutinium, vocẽtur Religioſi, quorum defectus Patri Prouinciali, tanquàm Patri reuelati fuerũt: quos ipſe ſecretò corripiat, prout ſaluti animarum ipſorum melius viderit expedire: ita tamen, vt eorum culpis medeatur, & eædem nunquam reuelentur, occaſiones præſcindãtur, Deusq́ue non offendatur: harum verò rerum de- §. 1.

nuntiatoribus, ſub grauioribus pœnis præcipiat, nè vllo vnquam tempore detegant, quæ dixerunt.

§. 2. Deinde vocentur ad menſam Viſitationis Religioſi ſuo ordine, incipiẽdo à Miniſtro, qui omnes genua flexa habeant, dum eorum proclamationes exponuntur, & reprehẽduntur, culparumq́ue leuamina audiũtur, ac dum ſe de commiſsis culpis reos profitentur, humiliterq́ue & cum ſpe ſuæ correctionis veniam petunt. Si tamen Rei aliquos teſtes habuerint, quibus ſe illis culpis non eſſe obnoxios, vel aliquos Religioſos ſibi eſſe ſuſpectos, comprobare velint, ad veritatem vniuſcuiuſque cauſæ elucidãdam, duo, vel tres teſtes tantùm recipiãtur, à quibus iuramẽtũ exigatur, vt merã rei veritatẽ proferant, niſi iam de hoc interrogati, ſuũ teſtimonium protuliſſent.

§. 3. Miniſtri, qui in culpis reprehẽdendis, puniendisvè, ſegniter ſe habuerint,

rint, grauiter puniantur, pariter etiã Religioſi illi, qui in Capitulo ſæpius proclamati, & à Prælato reprehenſi nunquam ſe in meliorem frugem reduxerint. Si aliqui Religioſi inuenti fuerint, pacis & trãquillitatis inimici, cõtumaces, Prælatorũ præceptis inobedientes: vel quòd in Viſitatione timoris, odij, amoris, vel fauoris cauſa, veritatẽ occultauerint, vel quæ ignorabant denũtiauerint, tàm de Miniſtro, quàm de alijs Fratribus, ſeuerè puniantur. Deniq; ea prouidẽtia omnia diſponãtur, vt Domus bene morigera, & pacata maneat, & iuſtitiæ, ac integritatis exẽplũ omnibus præbeatur, vt negligẽtes timore pœnæ à malis arceãtur.

§.4. Statuimus, quòd Religioſi, qui mordaces, detractores, vel mẽdaces reperti fuerint, vel quòd aduerſus aliquem falſum teſtimonium protulerint, ſi prima vice admoniti, & puniti rurſus in cãdem culpam inciderint,

nunquam ad teſtimonium ferendũ, vel ad quancunq; Viſitationẽ admittantur, neque eis aliqua fides habeatur, voceq; actiua, & paſsiua in perpetuum careant.

§.5. Religioſi etiam, qui Ordinis, vel Capituli ſecreta detexerint, vndè odium, vel ſcandalum poſsit emanare, graue ſubeant ſupplicium, vocéque actiua, & paſsiua priuentur, ad arbitrium Patris Prouincialis, & Viſitatorum, prout delicti grauitas exegerit. Miniſtris dum ſua officia exercent, hæ ſolum pœnitentiæ imponi poterunt, videlicet, diſciplinæ, ieiunia, & orationes.

§.6. His peractis Pater Prouincialis, & Viſitatores ſingulis Religioſis ſingulas pœnas imponant, iuxta delicti qualitatem, culparum cognitionẽ, & vniuſcuiuſque humilitatem, quas in quaternione deſcribant, & ſtatim Viſitationis literas in hunc modum faciant.

¶For-

¶ *Forma literarum Viſitationis.*

IN Nomine Sanctiſsimæ Trinitatis, Amen. Frater N. Prouincialis, & Vicarius generalis Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum Prouinciæ Portugaliæ, & Patres Viſitatores Fr. N. & Fr. N. viſitauimus hoc noſtrum Monaſterium Sanctiſsimæ Trinitatis Oppidi vel Ciuitatis N. tàm in capite, quàm in membris, & ad meliorem reformationem, quæ ſubſequũtur, inuiolabiliter obſeruari præcipimus, (& in fine addantur hæc.) Mandamus ſub pœna grauioris culpæ, ne aliquis Religioſus cuiuſcunque conditionis, & dignitatis directè, vel indirectè Viſitatores conturbet, vel aliquem alium Religioſum, quem ſciuerit, vel præſumpſerit, de eo aliquid in hac Viſitatione denuntiaſſe: iubemus etiam, vt ſcriba Conuentus harum literarum exemplar à ſe §.7.

ſubſcriptum nobis tradat, quas literas ego frater N. Viſitationis Scriba in Capitulo ipſius Domus, corā Religioſis Cōuentualibus perlegi. Datū in dicta Domo noſtra, ſub noſtris ſignis, & Prouinciæ Sigillo, die N. mēſis N. anno Incarnationis Dñicæ, &c.

## ¶ *Forma Capituli Punitiui Culparū.*

§. 8. HIS Peractis Pater Prouincialis Cymbalum pulſari iubeat ad Capitulum correctionis. In quo vbi primum omnes congregati fuerint, ipſe ſtans, incipiat Pſalmū, Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis, quem Religioſi omnes ſimiliter ſtātes alternis modulis proſequantur, quo recitato, Pater Prouincialis dicat, Saluos fac ſeruos tuos. Reſ. Deus meus ſperātes in te. Verſ. Oremus pro Papa noſtro N. Reſp. Dominus conſeruet eū, & viuificet eū, & beatū faciat eum in terra, & nō tradat eū, in animam inimi-

 corum

corũm eiũs. Verſ. Domine exaudi orationẽ meã. Reſ. Et clamor meus ad te veniat. Ver. Dominus vobiſcũ. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. ¶ Deus omnium paſtor, & rector famulum tuum N. quem paſtorẽ Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propitius reſpice, da ei quæſumus, verbo, & exemplo, quibus præeſt, proficere, vt ad vitã vnà cum grege ſibi credito perueniat ſempiternã. Per Chriſtũ dominũ noſtrũ. Reſ. Amen. Rurſus dicat Pater Prouincialis: oremus, pro Ordine noſtro. Reſp. Dñe Deus virtutum conuertere, & reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua. Oremus. ¶ Omnipotens ſempiterne Deus, cuius ſpiritu totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur, & regitur, exaudi nos pro noſtro & vniuerſis Ordinibus ſupplicãtes vt gratiæ tuæ munere, ab omnibus tibi gradibus fideliter ſeruiatur.

Per

Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſ. Amen. Deinde: Oremus. Pro Rege noſtro N. Reſ. Domine ſaluũ fac Regem, & exaudi nos, in die, qua inuocauerimus te. Oremus. ¶ Omnipotẽs ſempiterne Deus clementiã tuam ſuplices exoramus, vt populo tuo in tanta neceſsitate poſito miſericorditer ſuccurras, & Regem noſtrum N. quem ei dediſti benignus illuſtres, quatenus per te ab omni aduerſitate defenſus, eundem populum, & euigilanter regere, & iuſte gubernare valeat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſ. Amen. Poſtea idem Pater Prouincialis incipiat Pſalmum, De profundis clamaui ad te Domine: quẽ deinceps Conuentus proſequatur: & loco Gloria Patri, &c. Dicat. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Quo finito Pater Prouincialis dicat. Pater noſter, & in fine, Et nè nos inducas in tentationem.

Reſp.

Reſp. Sed libera nos à malo, Amen. Ver. A porta inferi. Reſ. Erue Domine animas eorum. Ver. Requieſcāt in pace. Reſ. Amen. Ver. Domine exaudi orationē meam. Reſ. Et clamor meus ad te veniat. Ver. Dominus vobiſcum. Reſ. Et cū ſpiritu tuo. Oremus. ¶ Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam, vt noſtræ cōgregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, Beata Maria ſemper virgine intercedente, cū omnibus ſanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis conſortiū peruenire concedas. ¶ Fidelium Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remiſsionē cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam ſemper optauerunt, pijs ſupplicationibus conſequātur. Qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Reſ. Amen. Ver. Re-

quiem æternam Dona eis Domine. Reſ. Et lux perpetua luceat eis. Ver. Requieſcant in pace. Reſp. Amen.

§. 9. His finitis omnes genua flectant, & Pater Prouincialis, & Viſitatores ſtent, & fratres ſtatim genibus flexis dicant. Confiteor Deo, &c. qua finita cõfeſsione Pater Prouincialis dicat. ¶ Miſereatur veſtri Omnipotẽs Deus, & dimiſsis omnibus peccatis veſtris perducat vos in vitã æternã. Reſ. Amẽ. ¶ Indulgentiam, abſolutionem, & remiſsionem omnium peccatorum veſtrorum tribuat vobis, omnipotens & miſericors Dominus. Reſp. Amẽ. ¶ Si tenemini aliquo vinculo, vel aliquibus vinculis excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti: (in quantum ſe extendunt gratiæ, & priuilegia Ordini noſtro indulta, mihiq; cõmiſſa, & vobis cõceſſa) ego vos abſoluo: & reſtituo vos ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, communioni, & vnitati fidelium: In

nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ſancti ✠. Amē. ¶ Itē eadē auctoritate, ego diſpenſo vobiſcū, ſuper irregularitate, vel irregularitatibus, ſi quam, vel ſi quas contraxiſtis, & habilito vos executioni Ordinum, & Officiorum veſtrorum. Item eadem auctoritate ego vos abſoluo ab omni tranſgreſsione Regulæ & Ordinationum, & Conſtitutionum, & Admonitionum maiorum veſtrorum. Et ab omni pœnitentia oblita, & neglecta, & maxime à pœna, quæ debetur propter fractionem ſilentij, & ab omnibus alijs, de quibus conſueuit fieri abſolutio in cōſimilibus Capitulis, vel ſolēnitatibus, vt ſitis abſoluti hîc, & ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, habeatisq́ue vitam æternam, & viuatis in ſæcula ſæculorum. Reſ. Amen.

Deinde Pater Prouincialis puros §. 10.
nouitios è Capitulo egredi iubeat, & protinus fratrū non presbyterorū

culpas

culpas ſuo ordine proferat, incipiēs ab antiquioribus: quibus admonitis,& emendatis,ſtatim Viſitationis literas legi præcipiat: quibus perlectis,hos Religioſos,à Capitulo exire imperet,confeſtimque Sacerdotum culpas,ſigillatim ſuo ordine legat,reprehendat,& puniat,incipiēs à Miniſtro domus (conſiderata tamen dignitate,& labore huius Officij,præcipuè ſi laudabiliter ſe in illo exercuit.) Poſt hæc quaternio, in quo culpæ erant deſcriptæ, in omnium conſpectu,comburatur:& pœnitentiarū exemplar Miniſtro ipſius Conuētus tradatur, vt eas breuiter adimpleri faciat, in quo ille prior omnibus obedientiæ,& humilitatis exemplum præbeat. Poſtea dicat Pater Prouincialis. Verſ. Adiutoriū noſtrum in nomine Dñi. Reſ. Qui fecit cœlum & terram. Verſ. Benedicite. Reſ. Deus. Ver. Dominus nos benedicat, & abomni malo defendat,

dat,& ad vitam perducat æternam: & fidelium animæ per miſericordiã Dei,requieſcant in pace. Reſ. Amẽ.

Si quidpiam tamen deſcriptum, Viſitatione completa, & ſententia contra fratrem prolata,incombuſtũ (iuſtis de cauſis) remanſerit, Pater Prouincialis de nouo electus, à Patre Prouinciali præterito, illud exigat,quandò ipſum viſitauerit, quod tradatur clauſum, & ſigillo munitum, & huius traditionis Chirographum à nouo Patre Prouinciali, & Viſitatoribus ſubſignatũ,Pater Prouincialis præteritus accipiat. §.11.

Poſtquàm Pater Prouincialis dictam Viſitationem abſoluerit:ſi viderit,nullum religioſum (illis obnoxium culpis,& propter illas punitũ) de Patre Prouinciali Præterito, querelã habere:id,quod erat deſcriptum, & ei traditum nõ reſeratum, nec lectum, in præſentia tam noui Patris Prouincialis,quàm præteriti, §.12.

& Viſitatorum concremetur: & huius rei fiat inſtrumentum ab ijſdem ſubſcriptum: tunc enim nullius querela poſteà acceptabitur.

§. 13. Si autem res talis fuerit, vt ex ea magnum aliquod præiuditium, vel perturbatio Ordini, aut alicui Religioſo prouenire poſsit, tunc etiam harum culparum quaternionem, Pater Prouincialis præteritus, Patri Prouinciali nouiter electo, & Viſitatoribus in dicta Viſitatione, clauſum, & ſigillo ſignatum tradat, non reſerandum, niſi quandò neceſsitas exegerit, & cuſtodiendum in aliquo loco duabus, vel tribus clauibus præcluſo: cuius traditionis Chirographũ accipiat à Patre Prouinciali de nouo electo, & Viſitatoribus ſubſcriptum. In his verò omnibus, quæ in Viſitationibus contigerint, Patri Prouinciali, & Viſitatoribus perpetuum ſilentium inuiolabiliter obſeruandum præcipimus.

¶ Ca-

## *Caput Decimum ſeptimum. De Appellationibus remouendis.*

ORdinamus, & ſub ſanctæ obediētiæ præcepto formali, ac ſub excōmunicationis latæ ſentētiæ pœna, trina canonica monitione præmiſſa, præcipimus, vt intra Ordinem, nulla fiat appellatio, cum non venerimus contēdere, ſed potius delicta emendare: quæ ſi fiat, irrita, & nulla ſit. Nullus etiā Religioſus Miniſtrū Domus (ſi cū Patribus à conſilijs aliquid decreuerit) vel Patrem Prouincialem, Viſitatores, aut Definitores tanquā, ſuſpectos recuſare poterit. §. 1.

Item ad nullum iudicē Secularem (niſi ad ſedem Apoſtolicam, cui immediatè Ordo noſter ſubiectus eſt, & quoduis membrū Ordinis illi ſubditum) pro iuſtitia aliquis recurrat, ſub pœna abſolutionis ab Officio, §. 2.

ſi eſt Prælatus, & priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, etiam in ipſo facto, quoad alios hoc idem intendimus.

## ¶ Caput Decimum octauum. De Capitulo Conuentuali: & de pœnarum Executione.

§.1. Cap .7. nu.27. CVM In noſtra Apoſtolica Regula præcipiatur, quòd ſingulis Dominicis diebus Miniſter cũ fratribus ſuis Capitulum habeat, experientiaque doceat, his diebus (propter ſolemnitatem Officiorum, & alia) commodè fieri non poſſe: ſtatuimus, & mandamus huiuſmodi Capitulum haberi, omnibus tertijs, & ſextis ferijs, cuiuslibet hebdomadæ, poſt Miſſam maiorem, vel in alio commodiori tempore. Si autem his prædictis die

bus

bus aliquid obſtiterit, alijs ſequentibus non impeditis fiat. Poſt ſignum adhoc factum cum Campana, omnes fratres in Capitulũ conueniant, vbi Sacerdotes ſedeant, & reliqui ſtent, quibus ſic cum ſilentio congregatis Prælatus dicat. Benedicite, cui omnes diſcoopertis capitibus reſpondeant: Dominus, & tũc Prælatus dicat, Loquamur de Ordine noſtro: ſtatimque puri nouitij ante ipſum genua flectant, quos in hũc modum interroget, Quid dicitis? Cui omnes ſimul reſpõdeant: Meam culpam: protinusque eos ſurgere iubeat, & ab antiquiori exquirat, de quo ſuam culpam proferat: & ille reſpõdeat, Dico meã culpam, quòd feci N. cui pro negligentiæ qualitate pœnam imponat: ſimiliterque ſe habeat cũ reliquis: quibus peractis eos ad nouitiorum domum ire præcipiat: & illis egreſsis, idẽ ordo obſeruabitur, cum religioſis profeſsis nõ

Sacerdotibus, quos etiā poſt hæc è Capitulo egredi iubeat:& illicò Sacerdotes, eodē ſeruato ordine, ante Prælatū ſuas culpas humiliter proferāt. Qui modus obſeruabitur in omnibus Capitulis: his tamē exceptis, quæ feria ſexta celebrantur, in his nāq; præter hæc poſtquàm Prælatus dixerit, Benedicite, & Cōuentus reſpōderit, Domin⁹: omnes ſurgāt, ſtatimq́; Prælatus incipiet Pſalmū, Ad te leuaui oculos meos, &c. reliquaq́; dicātur, prout ſunt in cap. 16. huius 3. li. §. 8. de forma Capituli punitiui: quibus finitis, rurſus Sacerdotes ſedeant, prælatusq́; dicat: Loquamur de Ordine noſtro: tuncq́; ibidē alia fiant, vt iam ſupra diximus.

§. 2. Nullus autē in Capitulo loquatur ſine Prælati licentia petita per hæc verba, Benedicite Pater: niſi vel culpam ſuam dicat, vel Prælato ad interrogata reſpondeat, nullus item ſedēs loquatur, cuiuſcunq; auctori-

tatis ſit, ſed ſemper ſurgat, quandò loqui, vel ad loquendũ licẽtiam petere voluerit: nec Prælatus aliquem ſedere iubeat ad loquendũ: vno etiã fratre loquẽte, alter nõ loquatur. Si quis autẽ ſine licentia loquatur, vel etiã licẽtia petita, & obtẽta modum exceſſerit, ad Prælati arbitriũ emendetur, omnes nãq; ibi reuerẽter ſe habere tenẽtur. In quib9 Capitulis Miniſter ſuis fratrib9, fratresq; Miniſtro rationẽ reddãt, de negotijs Domus.

Miniſter Cõuentualis ſingulis quibuſq; menſibus duos præsbyteros Proclamatores culparum cõſtituat, qui omnes Religioſos in Capitulo, proclamare teneãtur. In proclamationibus autẽ hũc modũ ſeruari volumus. Proclamans detecto capite ſtans dicat. Benedicite, & Prælatus reſpondeat, Dominus: ſtatimq; Proclamans non exagerans verba (ne eius accuſatio ſit accuſabilis) dicat, Frater vel, Pater N. habet aliam §. 3.

culpam: & tunc ille, qui proclamatus fuerit, genua flectat, & de Prælati iuſſu ſurgat: de eiuſque licẽtia modeſtè ſe excuſet, vel culpam agnoſcat, cum propoſito cauendi de cætero. Si autem Proclamatus negauerit, vel ſe excuſauerit, Proclamãs non inſtet, niſi iuſſus, vel interrogatus à Prælato: in Proclamante enim charitas, Religionis zelus, & modeſtia apparere debet: vterque verò ſermonem ſuum dirigat ad Prælatum, nec mutuò loquantur, ne fortè (quod abſit) in Capitulo contentiones oriantur, & culpæ, culpis addantur, ac locus emendationis, fiat locus corruptionis. Nullus alium, quia ſolummodò aliqua de eo audiuit, proclamet, niſi à quo audierit, declaret, & ille præſens in domo ſit. Caueat autem vnuſquiſque nè ſe Proclamantem in eodem Capitulo proclamet, nec foris ſuper hoc cum eo contendat, ſed ſe totum ad emẽda-

dationem diſponat. Nullus in Capitulo de defectibus, qui ibi manifeſtantur, audeat ridere, ſed potius compatiatur, & pro eis oret.

Quoniam legum ad impletio, ex poenarum executione maximè pendet (experientia hoc docente) ſtatuimus, & diſtricte præcipimus Patri Prouinciali, & Miniſtris Conuentualibus, ne pro libito poenas infligant, ſed iuxta delicti qualitatem, & harum Conſtitutionum tenorem eas exequantur: qui verò Conſtitutionum poenis non perpenſis, delicta, vel impunita abire permiſerit, vel ad arbitrium ſuum emendauerit, ſiue Pater Prouincialis ſit, ſiue Miniſter Conuentualis, poena, quæ reo erat infligenda, puniatur. §.4.

In delictis grauioribus puniendis caueāt omnino Prælati, nè aliquem niſi confeſſum, vel conuictum puniant: accuſatus tamē à pluribus, ab vno, de vno actu, à ſecundo, de alio §.5.

eiuſdem ſpeciei, talis non eſt conuictus, nec pœna ordinaria condẽnari poteſt, niſi præter accuſantẽ, ſeu denuntiantẽ (ad minus) duo conteſtes idonei conueniãt: poterit tamen ad veritatem fatendam compelli, & ad quæſtiones poni, modo tamen Religioſo, & iuridico.

§.6. Si tamen in pœnis ſtatutis nonnũquam ex cauſa diſpenſari cõtigerit: quoad pœnas poſitiuas, Prælati ſolũ diſpẽſare poſſe intelligãt. Pœnæ poſitiuæ dicuntur, carceris mãcipatio, panis, & aquæ in terra comeſtio, Pſalterij recitatio, vapulatio, & huiuſmodi alia: quòad priuatiuas verò, voce actiua, vel paſsiua, vel ab officio prædicationis, vel adminiſtrationis, vel ab alijs huiuſcemodi, quæ in Cõſtitutionibus habẽtur: in his nullus Prælatus, R. maiori Miniſtro excepto, & Capitulo Generali, ſeu Prouinciali dũtaxat, diſpenſare poterit. In pœnis autem, quæ ſunt, Canones

ſatæ ſententiæ, vt cũ in Cõſtitutionibus dicitur, inuiolabiliter, irremiſſibiliter, præciſè, indiſpẽſabiliter, nullus diſpenſare poteſt. R. maiori Miſtro duntaxat excepto, vel Generali, vel Prouinciali Capitulo.

## ¶ *Caput Decimumnonum. De leui Culpa.*

LEuis culpa eſt, ſi quis §. 1.
mox, vt factũ ſignum fuerit, nõ relectis omnibus cum matura feſtinatione, differat ſe præparare, vt ad Chorũ, vel ad alias congregationes Conuentus, ordinatè, & compoſitè, quando debuerit, veniat. Si quis in Choro malè legendo, vel cantando offendens non ſtatim corã omnibus ſe humiliauerit. Si quis diuino intentus officio vagis oculis, & motu irreligioſo leuitatẽ mẽtis oſtẽderit. Si quis in Eccleſia,

vel in Dormitorio, vel in Cellis, in quietus fuerit, aut aliquem ſtrepitũ fecerit. Si quis riſerit in choro, vel aliũ ridere fecerit. Si quis lectionẽ ſtatuto tempore non præuiderit. Si quis aliud cãtare, vel legere, quam quod cõmunis probat vſus, præſum pſerit.

§. 2. Itẽ leuis culpa eſt, ſi quis ad concionandum vadens otioſè locutus fuerit, vel legerit. Si quis diſſolutè riſerit, aut cachinis, vel ludis, dictis, vel factis, aliũ ad ridendũ cõcitauerit, ſi quis oculos vagos per plateas, aut villas præteriẽs, ad vanitates frequenter direxerit. Si quis in Vigilia Natiuitatis Domini, in Pretioſa, non adfuerit, vt pronũciatis Redemptionis noſtræ exordijs, corde, & corpore, Deo Redemptori noſtro gratias agat. Si quis de via veniens eadem hora (ſi fieri poteſt) benedictionem accipere neglexerit. Si quis ad lectiones dormierit. Si quis ſtatutis tem-

temporibus cum alijs Lectioné auditurus, non præſens fuerit. Si quis libros, interdictos fratribus, legerit.

Item leuis culpa eſt, ſi quis Eccleſiã, vel altaris ornamenta negligenter tractauerit, ſi quis veſtes ſacras aut libros loco ſtatuto, honeſtè non depoſuerit. Si quis aliquid vtenſiliũ fregerit, aut amiſerit. Si quis cibi, vel potus aliquid effuderit. Si quis aliquid dixerit, vel legerit, vnde fratres leuiter offendantur. §. 3.

Item leuis Culpa eſt, ſi quis cibũ, vel potum, abſq; benedictione ſumpſerit. Si quis ad Conuentum (hora qua debet) venire diſtulerit. Si quis ad Capitulum, vel ad Collationem nõ venerit, vel communi Refectioni non inter fuerit. Si quis commune mandatum non adimpleuerit. §. 4.

Item leuis culpa eſt. Si quis cum iuramento (ſine aliqua vrgente neceſsitate) aliquid vel affirmauerit, vel negauerit. Si quis turpẽ ſermonem, §. 5.

nem, vel vaniloquiũ dixerit. Si quis frater in Officijs ſibi commiſsis ſegniter ſe habuerit. Si quis, dum verbum Dei populo proponitur, dormierit, vel locutus fuerit. Si quis ad raſurã vocatus, aut ad aliquod obedientiæ munus iuſſus, maturè, & diligẽter ire neglexerit. Si proclamatus emendationem non promiſerit. Si Officiales Religioſis, prout eorũ exegerit neceſsitas ſedulò nõ prouiderint. Si quis vagus, otioſus, ſeu garrulus inuentus fuerit. Si Proclamator in proclamationibus negligenter ſe habuerit. Si quis abſque Prælati facultate cum laico locutus fuerit. Si profeſſus cum puro nouitio, ſine Magiſtri licentia ſermonem contulerit. Si quis abſque neceſsitate ſe alienis officijs admiſcuerit, vel ad primam domum communis oſtij Conuentus ſine Prælati aſſenſu ierit. Si quis inconſulto Prælato aliquid cum altero commutauerit:

pro

pro his culpis,& alijs ſimilibus Prælati ad ipſorum arbitrium leues pœnitentias imponant.

## ¶ *Caput Vigeſimum. De graui Culpa.*

GRauis culpa eſt, ſi fra- §.1.
ter cum fratre, vel cũ
laico intus, vel extra,
verbis cõtenderit. Si
quis alicui fratri opprobrium dixerit. Si
quis mẽdaciũ ex induſtria protuliſſe
deprehẽſus fuerit. Si quis ſilentium
non ſeruare in conſuetudinem duxerit. Si quis culpam ſuam, vel alterius iniuſtè defenderit. Si quis
in illum, à quo proclamatus eſt, vel
in quemlibet alium, maledicta, ſeu
verba inordinata, & irreligioſa malitioſè inuexiſſe fuerit deprehẽſus.
Si quis frater præteritam, culpam,
pro

pro qua ſatisfecit, alteri fratri improperauerit.

§. 2. Item grauis culpa eſt. Si quis mala de fratre, vel de Prælato ſuo, aut parentibus, vel conſanguineis cuiuſcunque Religioſi, malitioſè euomuerit, quæ teſtimonio fratrum ſuorum probare nequiuerit. Si quis ieiunia ab Eccleſia inſtituta fregerit, ſine cauſa, & licentia. Si quis alicui literas miſerit, vel ſibi miſſas legerit, quas Prælato ſuo prius nō oſtenderit, Magiſtris in Theologia, & præſentatis duntaxat exceptis, & qui Prouinciales fuerunt.

§. 3. Si quis frequenter leues culpas commiſerit, de quibus admonitus, & punitus non ſe emendauerit. Si quis in ſermonibus mēdacium adhibere conſueuerit. Si quis in locum aliquem profectus fuerit, & iuxta tempus à Prælato præfinitum, ſine rationabili cauſa, non redierit. Si quis linea tunica, abſque Prælati licen-

centia vſus fuerit. Si quis de victu, aut veſtitu murmurauerit. Si quis Miniſter, quarto quoq; menſe prius à Magiſtro admonitus, nouitium in Capitulo non propoſuerit, vel aliquem ad habitũ, vel profeſsionem receperit, cõtra id, quod noſtris Statutis fuerit diſpoſitum, vel ſi ſingulis quibuſque annis, Miſſas, Officia, & Anniuerſaria, quibus Domus fuerit obligata, diligenter adimpleri non fecerit: vel ſi permiſerit aliquem laicum in Refectorio comedere, qui non ſit ex nobili, aut illuſtri familia genitus. Si quis Ordinis ſecreta parui momenti detexerit: vel alicui votum emiſſum in Capitulo exprobauerit. Pro his, & alijs ſimilibus, quilibet delinquens ſemel vapulabit, & in terra comedet. Si autem Proclamatus culpam non agnouerit, & cõuictus fuerit, prædictæ pœnæ duplicentur.

## ¶ *Caput Vigeſimum primum. De grauiori Culpa.*

§. I. GRauior Culpa eſt, ſi quis per contumaciã, aut manifeſtã rebellionẽ inobediẽs Prælato ſuo extiterit, vel cũ eo, intus, aut foris proteruè contẽdere auſus fuerit. Si quis aliquem percuſſerit: ſi quis procurauerit, quòd ipſe vel alius eximatur (via nõ iuridica) à poteſtate ſui Prælati. Si quis Miniſter impedierit, ne Procurator Domus ad Capitulum Prouinciale veniat, vel nè officium ſuũ exequatur. Si quis aliquid ſibi miſſum, vel datum magni valoris ſuum Prælatum celauerit. Si quis Scrutator ſecreta Electionum detexerit.
Pius. V. & Greg. XIII Si quis Prælatus, vel ſubditus aliquam mulierem intra Monaſteriũ, Domos, vel quæcunque loca ipſius

ingredi

ingredi fecerit, vel permiſerit, exce ptis diebus, & locis ſupra aſsignatis in libro ſecundo. cap. 5. §. 2. & 3. Si quis peccatum mortale manifeſtè commiſerit, vtpote, furtum, ſacrilegium, &c. Si quis carceri mancipato, ad fugam auxilium præſtiterit.

Qui hæc, & alia ſimilia commiſerit, ſi ſuam culpam ſponte confeſſus fuerit, vel proclamatus eã agnouerit: per integrũ annũ, adminus, actiua, & paſsiua voce priuetur, & ſi cõcionator, vel confeſſor fuerit, per idem tempus hæc officia nõ exerceat: & vltra hæc, reliquæ Ordinis pœnitentiæ (ad arbitrium Miniſtri, & Patrũ à Cõſilijs) illi imponantur iuxta delicti qualitatẽ, & culpæ agnitionẽ. Aduerſus verò eũ, qui culpã negauerit, & conuictus fuerit, ſeuerius procedatur. Pœnas poſitiuas dũ aliquis adimpleuerit, cum alijs fratribus Sacroſanctum Euchariſtiæ §. 2.

Sacramentum non accipiat, neque ad aliquod munus obeundum ( niſi ad ſeruile ) admittatur : & ab Ordinibus Sacris, ſi quos habuerit, ſit ſuſpenſus: nulluſque abſque ſpeciali Prælati licentia, cum eo loquatur. Et ſi fuerit Sacerdos ſit in Conuentu nouiſsimus omnium Sacerdotũ, ſi verò profeſſus, omnium profeſſorum nouiſsimus ſit. Poterit tamen Officio diuino intereſſe, & de conſenſu Prælati Sanctum Chriſti corpus de alicuius Sacerdotis manu accipere. Pœnas autem Ordinis eſſe declaramus, verberationes, pſalmos, orationes, ieiunia, in terra comedere, vel ibidem in ſolo pane, & aqua abſtinere, Religioſorũ pedes in Capitulo deoſculari, proſtrationes, à vino abſtinere, & deniq; carcerem, & ſilentium.

§. 4. Ne tamen ille, qui has pœnitentias adimplet, in deſperationem labi poſsit, Prælatus ad eum ſeniores

mit-

mittat, qui ipſum commoneant ad pœnitentiam, incitent ad patientiã, foueant per compaſsionem, hortentur ad ſatisfactionem, & adiuuent ſua interceſsione, vbi viderint in eo humilitatem cordis: quibus etiam totus Conuentus ſuffragetur. Nec Prælatus renuat cum eo facere miſericordiam (quãtum ad pœnas poſitiuas ſolùm) quando ei viſum fuerit. Si tamen talis delinquens in cõtumacia, & duritie cordis perſeuerauerit, prædictæ pœnæ augeantur.

Si quis verò (quod abſit) in carnis peccatum fuerit prolapſus: aut furtum notabile commiſerit: vel literas R. P. N. Generalis, aut Patris Prouincialis, vel aliorum ſigilla, aut quasuis alias literas maximi põderis, & momenti falſificauerit, vel falſificatis ſcienter vſus fuerit: aut in Prælatum ſuum manus temerè violentas iniecerit, aut quemcunque §. 4.

lethaliter, vel grauiter percuſſerit: aut intrà ſepta Monaſterij, ſuper ſe arma inuaſiua portare præſumpſerit, aut aliquid prædictorum fieri fecerit, in carcerẽ conijciatur, & pœna grauioris culpæ puniatur.

